

LIB. II. C. IV. v. 5. *seu quid merui seu quid peccavimus, urit.* Heinsius scriptum voluit *seu nil peccavimus.* Etiam Chr. Bunsenius coniecit: Eheu quid merui? heu quid peccavimus? urit. Atque est in cod. Vindobon. heu, heu quid merui. (Vid. Lachmann. ad Propert. II, 7, 6.). Iure tamen videntur Heynius, Huschk., Lachm., Dissenac Gruppius vulgatam tueri. Differunt enim *merui* et *peccavi*: in *merito* est culpa, in *peccato* error. Terent. Andr. I, 1, 112 quid commerui aut peccavi? Ovid. Metam. III, 142. Quod scelus error habet? Confer. etiam Ovid. Trist. I, 2, 95. II, 1, 207. Itaque non est, cur a vulgata discedamus. — *Uror io: remove.* Itane sit interpungendum an *uror: io, remove*, dubius sum. Ovid. Heroid. V, 118: Graia iuvenca venit, quae te patriamque domumque perdat: io, prohibe. Est autem *io* exclamatio et summae laetitiae et maximi doloris. Serviles cruciatus poetam ad dolores, quibus animum eius avaritia puellae afficeret, transtulisse, recte monuit Heynius. — v. 7. *O ego ne possim tales sentire dolores, quam mallem in gelidis montibus esse lapis.* Explicata sententia apparet, quae temporum ratio sit: nata est brevitate dicendi: de qua re diximus alio loco. Intelligendi difficultas est nulla. Ut apud Horatium (C. I, 21, 6. 12, 6.) Algidus et Haemus, sic hoc loco montes *gelidi* dicuntur: suavitas loci est in oppositis: *lapis* (conf. Tib. I, 10, 59) sensus expers opponitur verbo *sentire*; *frigus seu gelu montium* facibus. — v. 12. *Omnia nam tristi tempora felle madent. felle madent* i. e. amara vel acerba sunt (vide Interprett. ad h. l.). Itaque quae temporis spatia hexametro distincte, eadem pentametro universe dicuntur (conf. Hor. II, 9, 10 seqq.). Est igitur manifestum, *nam* non causalem esse particulam, sed vim habere explicandi. Est quidem Itatorum coniectura *iam* valde probabilis, praesertim cum supra *nox* etiam *amarior*, quam *dies* dicatur; nec tamen propterea deserenda est continuo scriptura vulgata. Paulo aliter Ovid. Heroid. epist. 12, 169: non mihi grata dies, noctes vigilantur amarae. — v. 15. In nonnullis libris pro *non* reperitur *nil*. At illud non minus auctoritate bonorum librorum, quam aurium iudicio probatur. Accedit, quod hoc loco non tam requiritur in nichts, in keinem Stücke, quam *nicht*, cuius particulae vis omnis refertur ad verbum *prodestis*: *non prodestis* autem sonat *inutiles* idque dicit poeta. — v. 17. *Nec refero solisque vias et qualis ubi orbem complevit versis Luna recurrit equis.* Heinsius legit *nec qualis*: quae emendatio minime est necessaria. Subest enim sententia: nec refero siderum cursus conversionesque. poetarum more Tibullus rem per enumerationem partium, solis et lunae, adornavit. Sicuti vero recte dicitur: non refero cursus solis et lunae, sic recte etiam dictum est *nec refero solisque vias et qualis luna cet.* Non magis tentandus est indicativus *recurrit*: pro *solis cursum* poeta posuit *solis vias*: pro *lunae cursum* dixit refero *lunam*, qualis sc. est, cum orbe suo completo versis equis recurrit. Sed confer. omnino Dissen. annot. ad h. l. — Altera scriptura *qualis ut* cur minus, quam altera *qualis ubi* probanda sit,

docet Huschkus ad h. l. — v. 23. Libri variant: in aliis legitur *suspensa focus insignia sacris*: in aliis *suspensa sacris insignia donis*. *Insignia* intelliguntur *donaria*, quae, ut iam monuit Heynius, non in locis privatis, sed in fanis ponebantur. Itaque nec *focus* nec *donis* legendum est. Quod Heinsius coniecit *tholis* (conf. Virg. Aen. IX, 406: *dona ... suspendive tholo*), est haec coniectura docta quidem, multo tamen est probabilius, *fanis* scriptum esse a Tibullo: tritum est illud et usitatum vocabulum. de epitheto *sacris* confer. Lucret. V, 75: *sancta tuetur ... fana*. — v. 29. *Hic dat avaritiae causas et Coa puellis vestis et e rubro lucida concha mari. Haec fecere malas*. Recte Heynius et vocem *causas* et pronomen *hic* interpretatus est. Nam *avaritiae causas dat* sonat hoc loco *auctor est vel facit*, ut puellae avarae sint. *hic* autem est is, qui usum lapidum et purpurae affert sive qui legit smaragdus et tingit murice ovem. Poeta pro eo, qui Coa veste et conchis puellas captat, ipsa ornamenta posuit. Sic persona rebus componitur: qui loquendi modus etsi est paullo insolentior, tamen nec novus est et ad poetae animum, quo tunc erat affectus, accommodatus. — De varia scriptura *a rubro* supersedeo dicere: conchae legebantur *e mari*. Res igitur dubia esse non potest. Vid. Huschk. ad h. l. — v. 34. *ipsa canis*, ut legitur in quibusdam libris, nihil habet offensionis: at caret haec scriptura idonea auctoritate. Quam vero Heynius dicit poetarum elegantiam, ea profecto est commenticia. conf. Ovid. Art. amat. II, 574. remed. am. 422. — v. 36. *Quale bonum multis attulit ille malis*. Itali dederunt *addidit* et *abdedit*: quorum alterum Heynius vidit ineptum esse, alterum non probavit modo, sed recepit etiam. Idemque sensit Huschkus. Dissenius non recepit quidem illud, at praeclare inventum dicit. nam in dolore aut sarcasmo similitudines sonorum acerbum quoddam acumen habere. Quod etsi vere dictum est, (cf. Dem. pro cor. 280. *ὅτι φεύγει μὲν τὰς ἰδίας προφάσεις, εἰς δὲ τὰς Ἀμφικτυονικὰς καταφύγει*), tamen haec viri docti ratio me non movet, ut Italorum coniecturae scripturam *attulit* posthabeam. Delectum potius hoc esse verbum puto, quod *mala ista multa* in animo insunt puellae avarae: recte igitur oppositum est *attulit*: afferuntur enim, quae extrinsecus veniunt: cuiusmodi forma est a deo avarae puellae data. Praeterea *forma* erat donum aliquod dei: dona autem et commoda aequae atque incommoda *offeruntur* potius, quam *adduntur*. — v. 37. *Hinc stetus rixaeque sonant*. In paucis libris ordo verborum mutatus est. Atque *stetus* alius est tacitus, alius cum ploratu ac conviciis coniunctus: is certe *sonat* (conf. Virgil. Aen. XI, 61: haec ubi deflevit cet.): veruntamen amantes exclusi  *flere* prius solent, quam *rixari*: quocirca vulgatam scripturam obtineri oportet. — v. 38. *haec denique causa fecit, ut infamis hic deus esset Amor*. Varia scriptura est *hinc*: ex quo Broukhusius refinxit *nunc*: qua emendatione tolleretur simul vitium productae syllabae brevis. Sunt, qui eiusmodi productionem defendant vel excusent (vide Huschk. ad h. l. et interpret. ad I, 4, 44): est tamen tota res admodum dubia et incerta. Heinsius coniecit *infamis sic*, quod placuit Vossio et Bachio. At iure Dissenius dissensit: est enim *sic* male collocatum. Quid autem fiat pronomine *hic*? Quos locos Wunderlichus, Huschkus et Golberyus attulerunt, nihil omnino huc pertinent. Dissenius *hic* oppositum vult *illi* i. e. deo, qui

paullo supra formam dicitur dedisse. Mihi pronomen *hic*, cum nomen *Amoris* subsequatur, vehementer displicet. Legi malim *vel*: iam omnia expedita: poeta dicit *haec denique causa fecit* i. e. kurz, das war die Ursache, welche bewirkte, ut infamis vel deus esset Amor; dass selbst der Gott Amor in üblen Ruf kam. conf. I, 8, 53. Ovid. Amat. III, 466: Illa vel Hispano lecta sit uva iugo. — v. 40. *Eripiant partas ventus et ignis opes*. Simili modo Propert. II, 16, 43: Haec videam rapidas in vanum ferre procellas. Virgil. Aen. I, 59, quippe ferant rapidi secum verrantque per auras. Quod si hoc loco poeta solis ventis eam provinciam dedisset, scripturae *diripiantur* patrocinandum foret. At *incendio* vult et *ventis* eius vim concitantibus opes puellae delectius igitur *eripiant*. — v. 44. *moestas in exequias*. Conf. Horat. Serm. I, 8, 15. Virgil. Aen. III, 64. — v. 56. *Thessala terra gerit*. In libro Regiensi Lep. aliisque quibusdam codicibus reperitur *dedit*. Perfectum *dedit* inter praesentia *habet* et *stillat* offendit: nec ulla mutati temporis ratio excogitari potest. Vera scriptura est *gerit*. conf. Ovid. Metam. IX, 230: arboribus caesis, quas ardua gesserat Oete. Virgil. Georg. II, 122: quos gerit India lucos. — C. V. v. 3. *Nunc precor ad laudes flectere verba meas*. In paucis libris quibusdam est *tuas*: quae scriptura est nihili: Messalini enim, non Apollinis laudes poeta celebraturus est. In aliis libris reperitur *ad laudis flectere verba modos*: quod Huschkius recipere non dubitavit: pro *modos* tamen mavult scriptum *melos*. Heynius negat *laudis modos* dici potuisse: scribendum fuisse opinatur *Latios, lactos* aut simile quid. Etiam Vossii mirum commentum *ad laudes flectere verba modis* ab Huschkiio et Dissenjo pridem refutatum est. Lachmannus emendavit *mea*: idem coniecerat Dissenius. Est haec emendatio sane facillima: nun vero *laudes* tam nude poni potuerit, valde dubito. Mihi nihil omnino mutandum videtur. Poeta maius aliquid et gravius carmen scripturus precatur, ut Apollo ipse cum *cithara carminibusque* veniat: cui carminis exordio interpretes commode compararunt Horatianum illud: *descende caelo et dic age tibia sq.* (C. III, 4, 1 sqq.). *Cithara* designat cantum vel modos: *carmen* numeros ac voces. Itaque altero disticho cum dicit: *nunc te vocales impellere pollice chordas*, *Nunc precor ad laudes flectere verba meas*: idem dicit, sed paullo ornatius. pro *cithara* posuit *chordas pollice impellere*, pro *carminibus* *ad laudes flectere verba meas*. Horat. C. I, 12: *nolis longa fere bella Numantiae nec durum Hannibalem nec Siculum mare . . . mollibus aptari citharae* C. IV, 9, 4. *Verba loquor socianda chordis*. Quidni igitur Tibullo licuerit dicere: *te, Apollo, precor, ut verba ad meas laudes flectas*. *Laudes* praeconium Messalini dicit, quod argumentum est huius carminis. *meas laudes* autem dictum est, ut apud Cicero- nem *nostra crimina* (Verr. I, 11, 29), *vulnere vestro* (pro Cael. cp. 32 extr.) conf. Ramshorn, gr. lat. p. 341 et Krüger, gr. lat. p. 456. Ad hoc igitur argumentum poeta Apollinem vult ipsum *verba flectere*. *Flectere* autem cum delectu positum puto. Nam cuius testudo grata esset dapibus supremi Iovis (Hor. I, 32, 14. Hom. II, 1, 603): qui laudes concinuisset Iovi (vid. infra v. 10), is sane dignus erat, quem poeta precaretur, ut *modos vocesque* ad celebrandas hominis istius virtutes deflecteret. Detrahe ornatum orationis et sententia haec erit: *scripturus laudes Messalini carmen*

elegicum componam, quod ad sublimitatem ac gravitatem lyricae poesis adspiret. Quemadmodum vero Horatius eo, quem supra attulimus, loco Calliopen de caelo descendere et ab ea sese doceri vult, sic Tibullus precatur, ut praesens Apollo sibi quasi verba modosque praeceat, quibus cooptatio Messalini rite ac digne celebrari possit. Ceterum de constructione verbi *precari* cum infinitivo vide, quae Huschkius et Dissenius ad h. l. annotarunt. Male igitur Vossius scripturam unius libri *nunc opus* revocavit. — v. 11. *tibi deditus augur*. Varia scriptura *debitus* tam inepta est, ut mirer, defensores eam nactam esse Scaligerum et Heynium. Huschkius vulgatam comparat locutioni *religionibus deditum esse*: Dissenius verbis Tibulli, quae l. 1. c. 2, v. 97 leguntur: semper tibi (Veneri) dedita servit Mens mea. Equidem quid offensionis in his verbis sit, non video. Erat enim auguralis quaedam disciplina, *deditum* autem *esse studiis artium* locutio est usitatissima. Cum ars augurum tota esset in divinatione posita, quod munus erat Apollinis proprium, pro accurata auguralis disciplinae scientia poeta deum eius praesidem posuit. Est autem hoc loco *tibi* i. e. Apollini *deditus augur* dictum, ut apud Horatium Serm. II, 3, 105: nec studio citharae nec Musae deditus ulli. — v. 15. Quod iam inde ab Aldin. 1515 in libris lectum est *Sibylla est*, Heynio, Huschkio et Dissenio probatur. Atque is quidem secundum illud praeceptum, quod commentt. p. 17 multisque aliis locis tradidit, ita legi iussit, quo nomen Sibyllae sono efferretur pleniori. Nonne vero id nomen per se ipsum satis insigne est? Nec, quod infra legitur v. 49. *Lavini est* cum his conferes. utriusque enim loci ratio differt. Toto enim hoc loco id potissimum agitur, ut demonstretur, deum esse veracem. iccirco et oracula et auguria et sortes et haruspicina et libri Sibyllini commemorantur. Scribendum igitur fuisset *nunquam est frustata Sibylla*. Verum haec vox caret idonea auctoritate. Atque praecepto Dissenii tantum tribuendum est, ut codicum consensum pluris esse existimes. Quid? haud iniuria dixeris, necessitatem etiam aut suavitatem numerorum in sede huic verbo assignanda saepe non minus valuisse, quam eam rationem, ad quam tanquam legem ac normam Dissenius hanc rem exigi voluit. — v. 18. Utrum *quid* an *quod canat* legendum sit, cum ex compendio scripturae utrumque effingi potuerit, auctoritate librorum vix potest decerni. At constat, *doce, quid canat* esse lehre vel zeige, was er singt: quod qui dicit, is ignorat id ipsum, quod quis canit, idque ex altero sciscitatur: *doce, quod canit* autem valet theile mit vel berichte das, was einer singt vel prophezeit: denique, *doce quod canat* est lehre seu deute das, was einer wohl singen vel prophezeien mag, tum vero non verba, sed sententia ignoratur. Atque hoc loco poeta Apollinem non vult dicere, *quid* Sibylla canat, sed interpretari eum iubet vaticinationem Sibyllinam. Recte igitur legitur *quod canat*. Quae Dissenius in annotatione ad hunc locum attulit, huc non pertinent: certe scripturam *quod* non magis muniunt, quam loci ab Huschkio allati eam evertunt. — v. 19 sqq. *Haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem dicitur et raptos sustinuisse lares*. Sententia est plana: sortes Aeneae dedit post captam et incensam Troiam. Ubi Sibylla has sortes Aeneae dederit, poeta ipse non dicit: de virorum doctorum opinionibus vide sis Heynium et Dissen. ad h. l. *Dicitur*

languidum ac molestum est: sententia postulat *sustinuit*. Nec credo, hanc manum esse Tibulli. Fortasse aut nomini parentis additum erat epitheton simile quoddam illis Virgilianis *longaevus*, *aetate fessus*, scriptumque *raptos sustinuitque lares* aut aliud verbum positum, unde *sustinuisse* penderet. Quicquid est, illud non negaveris, haec eiusmodi esse, ex quibus intelligatur, ultimam huic carmini, ut cum Ovidio loquar, limam defuisse. Scriptura *raptos* et re et Virgilii verbis (I. Aen. 378) ab Heynio allatis firmatur. *Captos lares Aeneas piis manibus* (Aen. III, 43) tenere non potuit, sed quos hostibus et flammis eripuisset. Post vocem *lares* maius distinguendi signum ponendum est. Nec enim, ut recte viderunt interpretes, *credebat* cum *postquam* iungendum est. Si omnia sana sunt, *nec sonat fere nec tamen* (doch nicht glaubte er). Scriptura *haec* haud dubie librariorum errore nata Heinsium movit, ut coniceret *prodebat* sc. Sibylla. Nihil dicam de imperfecto: at quid fiat octo, quae sequuntur, distichis? Nam Sibyllae vaticinatio infra a versu demum tricesimo exponitur. — v. 23. *Romulus aeternae nondum firmaverat urbis Moenia consorti non habitanda Remo*. *Moenia* poetis usurpari pro ipsa *urbe*, constat (vid. Forbiger. ad Virgil. Aen. II, 234.). Hoc loco, cum dictum sit *aeternae urbis moenia*, hoc vocabulum vim suam tenet: quod vero additum est *habitanda*, rursus aedificia vel urbem spectat. Nec vero, cum aliud sit *moenia urbis firmare*, aliud *urbem moenibus firmare*, deerant, qui fossam et vallum urbi circumdatum intelligerent: haec enim munimenta esse moenium: lapideum murum (vid. Liv. I, 36) post Romulum exstructum esse (conf. Dissen. ad h. l.). At *moenia* nondum condita qui tandem fossa et vallo firmentur? Verum esto. Flor. I, 1: ad tutelam urbis vallum sufficere videbatur. Nolim tamen poetarum fabulas ad fidem historiae revocatas. Poeta Tibullus est, non historicus. Multo etiam minus Broukhussii et Vulprii interpretatio placet. Ut enim *animo aliquid formare vel informare* latine dicitur pro *imaginem alicuius rei animo praecipere*, ita *aliquid formare* hac significatione non dicitur. Neutiquam autem locutio *moenia formare* conferri potest cum verbis Virgilii, quae Aen. IX, 80. leguntur. ibi enim Aeneas *pineam silvam* ad formam navis struxisse dicitur. Atque haec de scriptura *formaverat*. Quod Muretus dedit *fundaverat*, per se probum est. Virgil. Aen. 260: Aeneam fundantem arces. At *moenia firmaverat* omni modo retinendum est: ornate dictum est pro *firma moenia condiderat*. Propert. III, 9, 50: et caeso moenia firma Remo. Ovid. Heroid. XVI, 179: firmataque turribus moenia (Troiae) — *consors* et honorum possessionem (Cic. Verr. III, 23: cum ex agris tres fratres consortes profugissent), et genus sive sanguinem spectat: quamobrem poetis etiam fratres et sorores *consortes* dicuntur. Vid. Gierig. ad Ovid. Metam. XI, 346. Ceterum confer. Ovid. Fast. IV, 811 sqq. — v. 29. *vagi pastoris*. Sophocl. Oed. R. v. 1022. ποιμὴν γὰρ ἦσαν κατὰ Σητεία πλάνης. — v. 31. *Fistula cui semper*. Mitscherlichius hoc distichon subditivum iudicat: suspectum est etiam Gruppio (p. 76). Dissenius contra, suaviter, inquit, moratur poetae cogitatio in simplicitate istorum temporum. Huschkius voces suspectas *semper* et *usque* defendere conatus est. Equidem hexametrum tantum non molestum duco, pentametrum autem tam ieiunum esse video, ut facere non possim, quin Gruppio consentiam,

non accessisse istis extremam Tibulli manum. — v. 34. *ire solebat Exiguus pulsa per vada linter aqua*. Eandem rem tetigerunt Ovidius (Fast. IV, 405) et Propertius (Eleg. IV, 9, 5). *Pulsa* Itali dederunt pro *pulla*. At vero hac quidem verborum iunctura nonne ista languent? Deinde num *pulsa* ea, qua voluerunt Itali, significatione, nude poni potest? Nam eadem vox aliis locis aliter explicanda est. Virgil. VII, 701: sonat amnis et Asia longe *pulsa* palus: certe non remis. Petron. 123, 231. Auster *pulsas* evertit aquas (conf. Tacit. Vita. Agr. cp. 11) et 89, 34 abiete imposita marmor pellitur i. e. dispellitur seu cedere cogitur, ut apud Auson. Mosell. 344 gelidum flumen *natau*. Quamobrem scriptores prudenter *remis* addunt, velut Catull. 44, 58. Propert. III, 22, 11. Sil. Ital. 15, 301. At facile, inquit Huschkius, id e contextu elicitur. Recte, si *remorum* mentio paullo ante iniecta est: velut Propert. IV, 2, 7. Ovid. Trist. IV, 1, 9. Itaque Italorum emendatio mihi non tam certa videtur esse, quae non possit oppugnari. Nihil equidem mutare ausim: sed quidni liceat coniecere? fortasse legendum: *exiguus multa* per vada linter aqua: *multa* i. e. effusa (weit verbreitet): nisi malis: *exiguus Tusca per vada linter aqua*: nam haec vada Albulae seu Tiberis erant stagnantis. Propert. IV, 9, 5. Quo Velabra suo stagnabant flumine, quaque Nauta per urbanas velificabat aquas — v. 35. *Illa saepe gregis ditis placitura magistro Ad iuvenem festa est vecta puella die*. Illa i. e. hac via: nec enim iungendum est cum *aqua*. *ditis* Dissenius *numerosi* explicat: rectius Heynius non modo ad numerum illud, sed etiam ad foetum fructusque gregis pertinere dicit. Etiam nostrates cum dicunt reiche Heerde, id ita accipi volunt. Pro *ditis* Muretus reposuit *diti*: consenserunt ei Heinsius, Vulpius, Huschkius. Non dubium est, quin ita legi possit: sed fastidium istud aurium literam sibilam spernentium non curo. — *placitura* Dissenius explicat *quae cupiunt placere*. Satis commode. Nam puellae ubi saltatum eunt, faciem omni modo exornant, ut viris placeant, quales etiam Goethius in Fustio notavit. Dissenius invitatum ab amatore opinatur puellam sese exiguae rati commisisse. Notum est participium futuri valere aut werden, wollen, bereit vel im Begriffe sein, velut egressurus, scripturus, aditurus aut, ut graecorum μέλλω cum infinitivo iunctum, sollen, bestimmt sein, velut Dellius moriturus, Icarus vitreo daturus nomina ponto (conf. omnino Thiel. ad Virgil. Aen. X, 811). Eam participii vim nos interdum ita flectimus, ut pro *sollen* ponamus *können*, ita ut *placitura* verti possit, die da wohl gefallen konnte, i. e. quae tam bella erat, ut magistro pecoris non posset non placere. Novas turbas interpretibus moverunt verba *magister* et *iuvenis*. Alii enim magistrum et iuvenem eundem esse dixerunt, ut Vossius et Dissenius: contra dixit Heynius. Etiam Huschkius alium esse putat magistrum, alium iuvenem. eventum ait non provisum fuisse: vectam esse puellam ad iuvenem i. e. amatorem: sed placuisse diviti gregis magistro, qui donis palmam iuveni praeripuisset. Haec ille. at eiusmodi calamitatis narrandae hic locus non erat. Equidem consentio Dissenio, sed verto: Hier fuhr gar oft ein Mädchen, das dem Besitzer einer reichen Heerde gar wohl gefallen konnte, zu ihrem Jüngling an einem festlichen Tage hin. *Magistrum* gregis non servum intelligo, qualis Faustulus ille erat, sed dominum gregis. — v. 39. *Impiger Aeneas*. Haec verba spectant sortes

illas, quas poeta supra dixit a Sibylla Aeneae datas esse. Mihi quoque persuasum est, haec suo loco mota esse: subiicienda erant versui vicesimo, saltem vicesimo alteri aut via aperienda, qua commode ad superiora oratio redire posset. Huschkii hanc *μετάβασιν ἀπὸ τοῦ δηγηματικῆς εἰς τὸ μυμητικῆς* memorabilem dicit. Dissenius istam transitionem, tam subitam ac repentinam, non modo non reprehendit, sed collaudat etiam (vid. eius comment. p. 271.). Equidem adduci nequeo, ut credam, a Tibullo compositionem rerum hoc modo neglectam esse. Sed de hac re alias. — v. 40. Auctoritate librorum permotus Lachmannus *Troica* pro vulgata *Troia* reposuit. Prudenter de hac re Ruhnkenius ad Velleium I, 5, 3 praecepit. Vide etiam Loers. ad Ovid. Heroid. I, 28. De re ipsa conf. Horat. C. IV, 4, 53. — v. 46. *Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris*. Vere vidit Heynius, Tibullum aliam fabulam secutum esse: de qua etsi nihil nobis compertum est, id tamen est manifestum, *incendia* non posse *faces* esse a Rutulis ad incendendam classem Aeneae paratas. Nec consentaneum erat, post commemoratam Victoriā, quae *super fessas Troianorum naves volitaret*, mentionem iniicere cladis ab iisdem acceptae. Iure igitur a Cyllenii, Vossii, Wunderlichii et Huschkii opinione dissensit Dissenius. Sententia horum verborum haec est: iam mihi videor videre flammās in Rutulorum castris elucentes. Nihil amplius dicit Sibylla: cetera coniectura assequaris, necesse est. — v. 53. *Concubitusque tuos furtim vittasque iacentes*. Vossius pro *tuos* scribi iussit *datos*: at *datos* non esse hos concubitus, res docet. Vestalis enim vi compressa est. *concupitus furtim* Huschkii dictum putat, ut graece *αἱ ἄγαν σπουδαί, αἱ παρανοήτα ἡδοναί*, alia id genus. At haec differunt. Ne illud quidem Terentianum *semperlenitas* (Andr. I, 2, 4) commode comparari potest. Propius accedunt *ἀληθές ἢ μάτην λόγος* (Euripid. Ion. 278); inceptum frustra erat (Sall. bell. Iug. c. 7) omninoque ea, quae conguessit Math. gr. gr. Tom. II p. 612. Herm. ad Sophocl. Antig. 633. Ita *furtim* hoc loco dictum est omisso verbi *esse* participio, quo sermo latinus caret. Praeterea cum *furtim* mediam sedem *concupitus* inter et *iacentes vittas* teneat, quicquid restat offensionis, sublevatur. — v. 59. *qua fluitantibus undis solis anhelantes abluunt amnis aquas*. Perperam Vossius *rutilantibus* legi iussit: quod epitheton hoc loco, ut recte vidit Dissenius, prorsus inutile et supervacaneum foret. Lucret. III, 190: namque movetur aqua et tantillo mome flutat. Satis est, hunc locum attulisse. — *Amnis* (conf. III, 4, 18) Oceanus est, cuius nomen alii, quod ego sciam, scriptores addunt: hoc loco ex re magis, quam ex verbo intelligitur, dici Oceanum. Eum *annem* poetae vocarunt auctorem suum ac principem secuti Homerum. — v. 61. *Troia se mirabitur*: Troiam dicit quasi ex cinere resurgentem: atque id quidem praeclare: ea vero, quae sequuntur *bene sibi vos tam longa via consuluisse* conferre iuvat cum verbis Virgilii (Aen. I. III, 159): tu moenia magnis magna para longumque fugae ne linque laborem. Quam illa *bene consuluisse*, si cum his compares, tenuia sunt! — v. 66. *iactavit fusas et caput ante comas*. de ordine verborum monuit Achilles Staius: rem egregie illustravit Huschkii. Omnia sana sunt. *fusas* per prolepsin dictum est pro *comas ita iactavit, ut ante caput funderentur*: quibus verbis facies furentis vatis depingitur. — v. 67 sqq. *Quic-*

quid *Amalthea*, quicquid *Marpessia* dixit *Herophile Phoebo grataque quod monuit*, Quasque *Albana sacras Tiberis per flumina sortes Portavit sicco pertuleritque sinu*, *Hae fore dixerunt cet.* *Amaltheam* Varro (vid. Lactant de fals. relig. I, 6.) *Cumanam* tradit fuisse, ab aliis *Herophilen* vel *Demophilen* nominatam: *Virgilio* (*Aen.* IV, 36) eadem vocatur *Deiphobe*. Ab *Amalthea* autem novem libros ad *Tarquinius* (*Priscum* fuisse ait Varro, *Superbum* Gellius I, I, c. 19) allatos perhibent. *Marpessia* quae hoc loco appellatur, eandem Varro *Hellesponticam* dicit, natam in agro *Troiano*, vico *Marpesso*, circa oppidum *Gergithium*. Pro *Marpesso* apud alios scriptores *Marmessus* vel *Marmissus* reperitur. (Vid. Suid. s. v. *Σίβυλλα* et Steph. Byz.). Inde *Salmasii* coniectura *Mermessiam* nata est: quam, cum res tam incerta sit, cur *Heynius* et *Huschkius* auctoritati librorum anteponant, non dispicio. Eadem fere scripturae inconstantia est in nomine *Herophiles*, quam alii *Eriphilen* vel *Heriphilen* dixerunt scripseruntve. At scriptura *Herophile* auctoritate *Pausaniae* (X, 12) satis firmata est. Apud quem scriptorem cum *Herophile* gloriatur: ἄδ' ἐγὼ ἄ φοίβοιο σαφηνγοῖς εἶμι Σίβυλλα, facile quis adduci possit, ut verbis *Phoebo grata* patrocinetur: verum, ut pridem *Huschkius* vidit, quaevis alia *Sibylla* et fatidica mulier *Apollini grata* vocari poterat. Ceterum pro *grataque quod monuit* in aliis libris est *grata quod admonuit*. Vocabulum *admonuit* ipsum nihil habet offensionis. Plerumque quidem de oraculis *monere* usurpatur: de portentis ac prodigiis etiam *praemonere* frequentatum est (conf. infr. v. 78. *Ovid.* *Metam.* XV, 185. *Plin.* *Nat. Hist.* I, 57); atque *extis* et *ostentis* *Cicero* ipse (*de Nat. deor.* II, 66) *admoneri* dixit. Hanc igitur vocem non moror: sed multo magis suspectum mihi est *quod*: nec enim puto poetam unum aliquod vaticinium intelligi voluisse. At vero quae est sententia verborum *Phoebo grataque quod monuit*? Interpretes omnes ad unum consentiunt, pro *Phoebo* alius cuiusdam *Sibyllae* nomen reponendum fuisse: *Vossio* placuit *Demo*, *Huschkius* *Phyto*: altera commemoratur a *Pausania* (X, 12, 8), altera a *Varrone*: *Samiam* eam dicit: nomen eius non addidit: sed tradiderunt illud alii scriptores (conf. *Scalig.* ad *Euseb.* *Chronic.* p. 77 et *Huschk.* ad h. l.). Summoto nomine *Phoebi* vox *grata* stare nullo pacto potest. Coniecit *Lachmannus* *graia*, quam coniecturam *Dissenius* palmarem iudicat esse: nec iniuria, quamvis *graia* pro *Samia* vel *Parthenia* positum mireris, cum *graciae* aliae quoque *Sibyllae* fuerint: felicissimam tamen hanc coniecturam esse, fatearis: num germanam illa scripturam reddiderit, quis pro certo affirmet? Rationes certe ab *Huschkius* et *Dissenio* ad evertendam scripturam *Phoebo* allatae mirum quantum vacillant. Nam quod *paullo ante* vocativus *Phoebe* positus sit, id equidem, cum haec tanquam disiecti poetae membra sint, flocci habendum duco. Nec magis mihi *Dissenii* ratio probatur. Is enim epitheton *Phoebo grata* propterea reiicit, quod poeta istarum *Sibyllarum* vaticinationes detestatus sit. At vero nec verisimile est, istas *Sibyllas* nulla nisi sinistra populo romano oracula edidisse et si concesseris, poetam expositis principis *Sibyllae* oraculis, laetis atque faustis nomini romano, dira ac tristia vaticinia aliarum *Sibyllarum* commemorasse, tamen, quominus vates *Phoebo grata* dicatur, nihil erit, quod impediatur. Namque ad eventum haec ipsa vaticinia perducta esse,



poeta paullo infra dicit. Ergo in earum quoque Sibyllarum animos *incola Pythius illapsus erat*: gratiae igitur et ipsae erant Apollini. Verum ut de summa re Dissenio consentiamus; aliquanto plus etiam tribuamus verbis Lucani ab Heynio allatis (Pharsal. I, 564: *diraque per populum Cumanae carmina vatis Vulgantur*): illud tamen manifestum est, verba *haec fore dixerunt* iungi non posse cum iis, quae hoc loco leguntur, *quicquid Amalthea dixit — quasque ... sortes portarit*. Retorquere enim non est aptare. Quid illa *ferunt, annus vidit?* putasne ea apta et suspensa esse ex eo loco, quem diximus? Immo vero poeta prodigia, quae paullo ante bellum civile Caesaris et Pompeii et sub necem Caesaris animos hominum religione ac metu perculerunt, breviter narrat, ut doceat, iam evenisse, quae ab illis vatibus essent praedicta. Ex veritate enim librorum Sibyllinarum sacerdotio augurum auctoritas accessit. Nullo autem pacto haec cum illis Amaltheae, Herophiles et Albunee praedictis iungi poterant, nisi quid additum esset, ex quo cognosceretur, tristitia ac dira has Sibyllas vaticinatas esse. Multo igitur rectius, quam Muretus, in cuius tamen opinionem nollem insultasse Huschkium, Heynius vidit, excidisse nonnulla, quae poetae aditum facerent, ea, quae diximus, prodigia narrandi. Ab interpretatione nimirum vaticinationum Sibyllinarum, ad quam poeta Messalinum ab ipso Apolline institui voluit, oratio ad prodigiorum procurationem, quae in iisdem libris Sibyllinis exposita erat, traducitur. Restat ut dicamus de verbis *quasque Albana sacras Tiberis per flumina sortes ... pertuleritque sinu*. Varia scriptura est *quodque, quosque et perluerit*. In excerptis Lips. legitur: *quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes portarit cet. Perluerit* ineptum esse, apparet. res clamat. Varro: decima est, inquit, Tiburs, nomine Albunea, quae Tiburi colitur ut dea, iuxta ripas Anienis, cuius in gurgite simulacrum eius inventum esse dicitur, tenens in manu librum: cuius sortes senatus in Capitolium transtulit. Haec Varro. Itaque viri docti certatim ea, quae Excerpt. Lips. praebent, amplexi sunt. Coniunctivum verborum *portarit et pertulerit* Huschkius ita explicat, ut Tibullum dicat hanc rem tanquam fictam dubitanter commemorasse. Sed ut iam finem faciam de hoc loco vexatissimo dicendi, coniectando is locus sanari non potest. Etenim cum locus claudus et mutilus sit, nihil habes certi, quo coniecturam dirigas. Optabis magis, quam invenies, quod speres fore ut aliis probetur. Satis igitur erit, dispexisse, dicere poetam: quicquid Amalthea, quicquid Marpessia, quicquid Albunea diri olim vaticinata esset, id se ab Apolline velle averti. — v. 71 sqq. *Haec fore dixerunt belli mala signa cometen — praemonuisse boves*. Num *haec* an *haec* legendum sit, dubium est: probabilius tamen, veram scripturam esse *haec*. Dicit enim poeta hoc quidem loco, de his prodigiis monuisse olim Sibyllas: deinde ipsa prodigia commemorat: denique, id quod caput est totius loci, precatur, ut Apollo ea averruncet. Quae igitur a verbis *Atque tubas atque arma ferunt* usque ad verba *Haec fuerant olim* exposita sunt, poeta non ut praedicta a Sibyllis affert, qualia illa sunt *haec fore dixerunt* cet., sed narratoris ipse partes suscipit. Haec de toto loco: nunc singula examinemus. — v. 71. *haec fore dixerunt belli mala signa cometen Multus ut in terras deplueretque lapis*: miror, si ita scripsit Tibullus. Nam et constructio est

valde impedita et lapis *depluit* nove dictum: nam lapis ipse imbri demittitur. — v. 73. *Atque tubas atque arma ferunt.* de geminata particula conf. Wagn. ad Virgil. Ecl. V, 23. — *Strepitantia* codicum auctoritate, *crepitantia* si non librorum commendatione, at usu dicendi probatur. Petron. ep. 122 v. 134: *armorum strepitu caelum furit*: ubi Burmannus reponi iussit *crepitu*. Sed etsi hic *crepitantia*, illic *crepitu* malueris positum (conf. Doederlin. Synonym. Tom. V. p. 117), tamen non erit caussa satis idonea, quamobrem alteram scripturam reiicias. Ceterum malim versus 77 et 78 ante versus 75 et 76 collocatos: quamquam Vossius et Dissenius eum ordinem, qui nunc est horum versuum tuentur. At vero crepitus armorum et ingens illa ex lucis audita vox eodem numero sunt, quo lacrimantia ista signa deorum et voces humanae a bubus editae; longior autem solis defectus, qui fuit occiso Iulio Caesare totiusque paene anni continuus pallor non in nuntiatis prodigiis, quorum fides dubia erat, sed in rebus veris ac certis numerandus est. Illis igitur prodigiis convenit *ferunt*, huic *vidit annus*. — v. 79. Pro *fuertant* Broukhusius de coniectura dedit *fuertint* et ita in duobus libris legi, testis est Huschkus. Broukhusio praeter Heynium Huschkus quoque et Dissenius suffragati sunt: atque alter eorum *fuertint* vi optativi positum dicit: alter verba *haec fuertant olim* desiderantis potius, quam deprecantis esse arbitratur. Equidem, cum poeta haec evenisse dicat eademque expiari et averti cupiat, solam scripturam *fuertant* veram esse existimo. — v. 81. *Erit* contra alteram scripturam *eat* satis munivit Broukhusius. — v. 84. *laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni.* Fingit nimirum poeta, laurum *iam bene crepitasse*. Pro *ubi* Vossius *uti* coniecit; Heinsius *io*: illum refellit Huschkus; hunc secutus est Heynius. Etiam Dissenius *io* vere poeticum dicit. Equidem non ita animo affectum fuisse poetam puto, ut in illam exclamationem erumperet. Longe alia res est I, 1, 24 et infr. v. 118, aut II, 4, 6. — v. 86. Scriptura *deficient* nec librorum auctoritate caret et suffragia tulit Vossii, Huschkii, Bachii, Golberyi: at poeta non tam dicit, id eventurum esse, quam cupit optatque; itaque rectius est *deficient*. — v. 96. *qua levis umbra cadit.* Excerpt. Pocchi: *unda cadit*: quae scriptura unde orta sit, patet. Conf. Tib. I, 1, 27. Horat. II, 3, 9. Epod. 16, 48. At haec nihil ad hunc locum pertinent. Ovid. Metam. V, 336. memorisque levi consedit in umbra: cui loco Tibullianum istum Gierig. contulit. Heynius *levem* comparat Statii *tremulae umbrae* (Theb. V, 749): at recte Dissen. eam dicit contrariam esse *densae* vel *horrenti*. — *Cespitibus ... toros.* Virgil. III, 224: tum litore curvo extruimusque toros dapibusque epulamur opimis. — v. 110 sqq. *Et mihi praecipue: iaceo cum saucius annum et faveo morbo, cum iuvat ipse dolor, Usque cano Nemesim.* Ita Lachmannus et legit et distinxit, eique consentiunt Dissen. et Gruppius. Alii post *praecipue* comma, post voces *morbo* et *dolor* colon posuerunt, ut Heynius et Huschkus. Idem et Passeratii coniecturam *tam iuvat* et, quod ab Ald. 1513 divulgari coeptum est, *vixque* receperunt. Verum *tam* est aliquanto fortius, quam ut ad hunc locum quadret, praesertim cum oratio leniter profluat: aptius foret, ni fallor, *nam iuvat*. *Vixque* haud dubie natum est ex scriptura *taceo*. At *taceo* male iungitur cum voce *saucius* meritoque emendatum est a Scaligero. Neque magis dubia est scriptura

*faveo*, quae non modo iis locis, quos Vulpius, Heynius et Huschkus attulerunt, sed etiam usu loquendi firmata ac munita est. Quid? ne tum quidem, si, sicut spes, fama, vota, voluntates, bella foveri dicuntur, sic diceretur *morbum aut dolores fovere*, non potius habendum esset *favere*, quam *fovere*. Est enim plus cupiditatis in *favendo*, quam in *fovendo*. — Coniunctionem *cum* Dissenius dicit propterea esse geminatam, quod verbis *iuvat ipse dolor* eadem sententia subsit, quae verbis *morbo faveo*: sed illa his ἐπιφαστικῶς adiecta esse. Video, quid dicat vir doctus: sed, nescio quo modo adduci non possum, ut credam, hanc esse manum Tibulli. Mallem scriptum: Et mihi praecipue, iaceo qui saucius annum et faveo morbo, quod iuvat ipse dolor. Usque cano Nemesim cet. — v. 116. *oppida victa* commode componi possunt *expugnatis* populis. Vide Walch. ad Tacit. Agric. p. 400. — C. VI. *terrae via*. Quem Huschkus contulit locum I, 3, 36, is non magis, quam verba Horatii (C. II, 6, 7) aut Ovidii (Fast. I, 4), iis, quae hic leguntur, comparari potest. *Via terrae* dictum est, ut *maris via* (conf. Ov. XI Met. 747). — v. 8. *Ipsa levem galea qui sibi portet aquam*. Vossius et Broukhusius legerunt *levi galea*. At *galeae* epitheton est *lēvis*. Dissenius *levem aquam* contulit *levi vino*. Plin. Nat. Hist. 23, 32. levissimum est (vinum), quod celerrime inveteratur. At ut nostrates dicunt »leichter Wein«, non item »leichtes Wasser«, ita etiam latine dici puto *vinum leve*, aquam non item. Facete igitur ac iocose *aquam* poeta — oderunt enim poetae aquam — *levem* dixit pro *vili*. Epitheton perpetuum seu ornans non est. Conf. tamen Iacob. Quaestt. epic. pag. 43. — *Sibi portet* intelligo aquam ex flumine haustam, ut Polystratus ille (Curt. V, 13) *galea* haustam aquam sorbet. aliter Dissenius, quem vid. ad h. l. Dicit sane poeta, ut pridem Heynius explicaverat, *gregarium militem*. — v. 10. *et mihi facta tuba est*. Lepide dictum, si quid video. Congruunt ista cum inani animi iactatione, qua sedata Tibullus: magna, inquit, loquor, sed magnifice mihi magna locuto excutiant clausae fortia verba fores. Itaque nec placet, quod Muretus ex paucis libris dedit *grata*, et multo etiam deterius est, quod Heynius coniecit *flata*. *fortia* autem *verba* facete dicit, quia miles futurus est et bellicam virtutem prae se fert. conf. I, 5, 2. Ovid. Met. VII, 76. Virgil. I, 27. (*fortia* corpora). *Grandia* igitur hoc loco minus aptum est. Vid. Huschk. ad h. l. — v. 13. *Iuravi quotiens rediturum ad limina nunquam*. de omisso accusativo pronominis monuerunt Huschk. ad h. l., Dissen. ad I, 3, 27. Rubken. ad Rutil. Lup. p. 112. Adde Anthol. III, 82, 50: speravit (Pasiphae) torvo posse placere bovi. — v. 15. *Acer Amor, fractas utinam tua tela sagittas, si licet, extinctas aspiciamque faces*. Non opus est, monere, *tela* et *sagittas* et *faces* esse. Quam vero scripturam Broukhusius, Heynius et Huschkus receperunt *ilicet*, ea non magis probari potest, quam quae est aliorum librorum *scilicet*. Poeta nimirum religione quadam tangitur: qua de causa statim impetum animi excusat, quo commotus haec verba iactaverit. Itaque tu, inquit, me mihi dira precari cogis et insana mente nefanda loqui. — v. 20. Ordo verborum in aliquot libris alius est; haud dubie mutatus, ut numerorum suavitati consuleretur. Verum, ut recte vidit Huschkus, in his ipsis verbis, quae posteriorem pentametri partem tenent, caput est totius sententiae.

Ac mihi quidem callide numeri ad indignationem spei in crastinum semper diem meliora differentis compositi videntur. Haec ars est poetae, non negligentia. Vide tamen Gruppium libro saepe iam dicto pag. 81. Ceterum Ovid. Epist. ex Pont. III, 6, 42: Me quoque conantem gladio finire dolorem (spes) arcuit iniectam continuitque manum. — v. 21. *Spes alit agricolas*. Ovid. Ib. 130: speque tuae mortis, perfide, semper alar. Stat. Theb. XII, 739: sic iuvat exanimis proiectaque praeda canesque degeneresque lupos: magnos alit ira leones. *Alere* enim id dicitur, quod vim alicuius et animos auget. Sententia est plana. Quod vero Heynius quaerit, num ad declarandam deae potentiam ea, quae hoc loco de aucupio et piscatione dicerentur, satis essent accommodata, haud indignum est tanti viri iudicio: sunt enim ista inventa humanae potius astutiae (conf. Sophocles Antig. vv. 332 sqq.). Veruntamen fatendum est, cum piscatus et aucupii fructus non minus dubii sint et incerti, quam arationis, ita ut pauperes homines sola spe ad haec negotia subeunda et toleranda adigantur, non male hoc loco artes eiusdem generis comparatas esse. Conf. incert. poet. (Anthol. lat. I. III, 82): Sperat, qui curvo sulcos perrumpit aratro: sperat, qui ventis vela ferenda dedit: spes hamis pisces, laqueo captare volucres, erudit cet. — Frustra coniecit Heinsius *hamis subdidit ante cibos*. Scriptura *abdedit* iis locis, quos Heynius et Huschkius attulerunt, ita firmata est, ut convelli nequeat. — v. 28. *ne vincas, dura puella, deam*: spem dicit poeta, aliis invictam. *spem* vero *vincere* quid aliud est, quam facere, ut succumbat i. e. ut nihil valeat? Sententia igitur est: noli facere, ut spem tui amoris mihi conciliandi omnem abiiciam. — v. 33. *Illius ut verbis, sis mihi lenta, veto*. Ut non posse cum *sis* iungi, viri docti omnes ad unum viderunt: quippe, adversatur enim usus sermonis latini. Itaque explicant *tanquam*. Recte ac necessario istuc quidem: sed vereor, ne haec particula vim sententiae frangat. Etenim vetare aut iubere alicuius verbis significat in eines Namen etwas verbieten oder gebieten. Mihi *et* potius, quam *ut* probaretur: at quam facile *ut* ultima syllaba verbi *illius* nasci potuit! Atque numeri ipsi ad gravitatem obtestationis forent compositi, si scriptum esset: *Illius verbis* (conf. I, 8, 66; II, 2, 7.). — v. 45. *Lena vetat miserum Phryne*. In libris est *phirne, fyrne, furne, hirne*: ex *phirne* refinxit Muretus *Phryne*. Id nomen etiam apud Propertium II, 6, 5 in plerisque codicibus eodem modo depravatum erat. Verum quicquid Dissenius contra Huschkius dicit, negari nequit, nomen iniquo loco positum esse. Quid, quaeso, nomen lenae ad rem? Longe alias partes agit Nape illa Ovidii (Amor. I, 11.). Pro *vetat* Pontanus coniecit *necat*: quam coniecturam Dissenius dicit firmari iis, quae infra leguntur *tunc morior curis*. At haec ipsa coniecturae Pontani occurrunt potius, quam succurrunt. Omnino illa nihil ad haec pertinent. Deinde dubito, num *necare* veteres ea vi ac significatione posuerint, qua multis locis *enecare* dictum reperitur. Lachmannus legit *vocat* i. e. invitat: ipsam enim orationis structuram ostendere, sequentia de commercio literario Tibulli cum Nemesi intelligenda esse. Ab hac viri doctissimi opinione dissentit Dissenius: nec iniuria. Nam si literas intelligimus a Tibullo datas et acceptas, quid caussae dicimus fuisse, cur lena *furtim occulto sinu* tabellas portaret? Conqueri videtur Tibullus,

quod lena rivalis alicuius, haud dubie ditioris, tabellas ultro citroque ferat, ipsum autem verbis detineat ac ludat vanis et inanibus. In excerptis Perreii et Pocchi legitur: *lena vetat miserum recipi*, quod Huschkio probatur. At de hac re poeta infra questus est. Locus depravatus est; erroris sedes est in voce *phirne* vel *hirne*: fortasse etiam in proxima illa *vetat miserum* error invasit. Equidem multum temporis investigando, coniciendo consumsi vel potius perdidit: varie locum tentavi: sed nequidquam. Aliquando, dum vestigia scripturae premo, in mentem venit: *Lena vetus miserum prohibet furtimque tabellas cet.* At videant peritiores.

LIB. IV. C. I. v. 1 sq. *Te Messala canam, quamquam me cognita virtus Terret.* Varietas scripturae haec est. in aliis libris legitur *me*, in aliis *mea*, in paucis vero *tua*. Pro *cognita* autem in paucis libris *vivida* reperitur. Ex coniectura dedit Lachmannus *me et*. Verba *Te Messala canam* sponte in mentem revocant notissima illa Virgilii: *nunc te, Bacche, canam. Virtutem* nonnulli intellexerunt *ingenium poetae*: quos iure reprehendit Huschkius. Idem recte explicavit vim vocis *cognita*, sed quibus locis id probatum voluit, iis nihil effici, quisque, qui vel semel eos inspexerit, videbit. Desideratur praeterea pronomen *tua*: quod si esset additum, non foret, cur *cognita* displiceret: sed eiendum esset *me*: quod non minus incommodum est. Lachmanni coniectura vereor ut locus sanetur. Heynio nollem probatam scripturam *vivida*, quae verbis Horatianis *vivido impetu* firmari nequit: differt enim tota utriusque loci ratio. Ut ista nunc leguntur, oratio impedita est et tirone, quam Tibullo dignior. At vero Tibullus tum tiro fuit in poesi (vide Grupp. libr. de Rom. eleg.). Esto: defuerit adolescentulo ars: natura certe ei non defuit. Atque in ipso tirocinio vis ingenii, ubi viget, non potest non elucere. Videamus nunc de altero versu: *terret, ut infirmae nequeant subsistere vires.* Vulgata est *valeant*, cui plerique viri docti suffragati sunt: quin Huschkius *nequeant*, quae est Cuiaciani aliorumque quorundam librorum scriptura, errore natam existimat. Quam scripturam si serves, coniunctionem *ut* explicari non posse *adeo* vel *ita ut* apparet. Itaque Lachmannus docet, *ut* vim concessivam habere et cum sequentibus verbis *incipiam tamen* esse copulandam. At recte sentit Dissenius, hoc modo grammaticae rationi melius, quam scriptoris prudentiae consuli. Ac mirari sane licet istius hominis pertinaciam, quae ab aliorum poetarum elegantia plurimum distet. Qui si quando fassi sunt, ad laudes alicuius celebrandas ingenium sibi deesse, ad hanc rem non aggrediuntur, nisi praefati, se id facere, ne, cum suae modestiae consulant, pietatis officium deserant. Deinde, quae est verborum iunctura, ea facile quis induci potest, ut putet, *ut* pendere ex verbo *terret*. At si legitur *valeant*, sententia plana est. *terret* enim sonat *metum iniicit* sive *efficit*, *ut aliquis metuat*. Fortasse *nequeant* ortum est glossa grammatici, qui, ut doceret, quam vim particula *ut* post verba *timendi* haberet, in margine scripserat *ut valeant i. e. nequeant*. Quicquid est, *valeant* germanam scripturam esse existimo. *terret, ut infirmae valeant subsistere vires* universe quidem dictum puto, ut paullo infra *carmina deficiant*: sed manifestum est, poetam in his infirmis viribus suas numerare. — vv. 3 sq. *a meritis si carmina laudes, deficiant: humilis tantis sin conditor actis: nec tua praeter te*

*chartis intexere — supersint. Est nobis cet.* Ita dedit Lachmannus, quem secutus Dissenius totius loci sententiam hoc modo explicat: si ex praestantia iudices carmina, sive si a meritis ea laudes, haec quidem deficient; humilis sim conditor tantis actis neque omnino quisquam res tuas digne laudaverit. Est nobis voluisse satis. Haec ille, at primum *laudes non est iudices: sed laudare aliquid ab aliqua re* poni nequit, nisi significetur, alicui rei ob aliquid nonnihil pretii aut honoris tribui: cui male convenit, id quod sequitur, *deficiant*. Deinde ut concedas, *meritum esse dignitatem*, quae virtute aliqua insita enascatur; non continuo sequitur, ut idem pro *praestantia* poni possit. Sed esto: quis vero hoc ordine verborum *incipiam tamen: a meritis cet.* neget, primae orationis virtuti, perspicuitati, parum provisum esse? Quam porro toto hoc loco dissipata est et inculta oratio! Atque haec omnia feremus, scilicet ut ne discedatur ab auctoritate librorum quorundam, cum constet, saepissime *a, ac, ad* inter se male commutata esse. Scaliger legit *at*, Muretus *ac*: id mihi probatur, quia ea, quae sequuntur, illis, quae supra commemorantur, non opponuntur, sed adiunguntur. Haud dubie igitur legendum est: *ac meritas si carmina laudes deficient*. Pro *humilis tantis sim conditor actis* Heinsius, ut ingratum asyndeton tollatur, scribi iubet: *tantisque humilis eique assensus est* Vossius: sed ita omnis ratio, quae vi et pondere verborum constat, pervertitur (conf. Dissen. ad h. l.). Haud elegans est istud asyndeton, quis neget? sed intelligitur tamen, non temere omissam esse copulam. Etenim poeta, postquam paulo ante generatim de carminibus locutus est, cum statim idem de suo carmine iudicium subiiciat, haec duo, quae ad poesin pertinent, ipsa *ἀσυνδέτως* componit. Quod vero addit *nec quisquam intexere chartis* cum omne genus scriptionis, tum rerum enarrationem spectat. Huschkus falsa interpretatione verborum *conditor actis* ad mira commenta delapsus est. Scriptura denique *praeter te* et auctoritate librorum satis est munita nec quidquam est, quod ei refragetur. Ceterum mihi quidem persuasum est, haec omnia una periodo comprehendenda et sic interpungenda esse: *Incipiam tamen: ac meritas si . . . deficient, humilis . . . actis, Nec tua . . . queat, dictis supersint: Est nobis voluisse satis: nec cet.* Sententia totius loci est: dicam tamen et si (und mögen immerhin) carmina nulla tuas laudes assequantur, ut neque ego iis rite celebrandis sim, neque alius quisquam praeter te reperiatur, qui res a te gestas possit digne scribere, equidem tamen eas canam: nam satis est mihi voluisse: tu vero haec munera quamvis exigua non spernes. — v. 9. *Cres tulit*. Vide Homericum hymnum in Apollinem, ex quo loco disci potest, et quo duce usi sint Cretenses et quae dona deo dederint: quae sane erant exigua. Confer. Priap. C. 53: *Contentus modico Bacchus solet esse racemo.* — vv. 21 sqq. *Et vagus e terris, qua surgere nititur aer Huic et contextus passim fluat igneus aether Pendentique super claudantur ut omnia caelo.* Poeta dicit, alios in dicenda rerum natura versari. Eam poetae tribus fere partibus describunt, terra, mari, caelo: atque hae tres partes hoc quoque loco nominantur, sed addit scriptor et *aethera*, qui, ut Cicero de nat. Deor. II, 45 ait, caelo proximus et coniunctus et extremus omnia cingens ardor est, et *aerem*, qui terrae proxime fusus sublime fertur. Verum in hac

ipsa re interpretes inter se dissentiunt: quorum alii verba *vagus . . . aer* cum vocibus *passim fluat* iungenda censent: alii contra (vid. Heyn. ad h. l.) his ipsis verbis locum ac regionem putant designari, ubi aether igneus passim fluat. At id ipsum satis declaratur verbis *huic contextus*: deinde cum aether, non ubi aer surgere nititur, sed quo altissime enisus est, fluat, mire dictum foret *qua surgere nititur*. Qua de caussa altera opinio multo est probabilior. Quam si tenemus, consequitur, ut assentiamur Heinsio, qui *ut vagus* legi iussit. *Ut repositum* voluit etiam Puccius, sed post *huic*, quod est in altero versu. Alterutro in loco *ut* legi necesse est. Id postulat orationis concinnitas. Etenim iis, quae paullo ante leguntur, *qualis et qualis*, respondent *ut — utque*. Necessario etiam scribendum est *a terris*: quae est Barthii coniectura vel emendatio, repudiata a Vossio et Huschkiö, probata ac firmata a Dissenio. In voce *qua* nescio quomodo etiam nunc haereo. fortasse legendum est: *Ut vagus a terris* qui surgere nititur aer: de natura enim aëris, non de loco poetam loqui arbitrator. Cetera plana sunt. *passim* est *ἐνθα καὶ ἐνθα* (nach allen Seiten hin) atque *fluere* de utroque et aëre et aethere dici, iam ex Lucretio et Cicerone cognitum est. — vv. 25 sqq. *At quodcumque meae poterunt audere Camenae, seu tibi par poterunt, seu quod spes abnuît ultra sive minus (certeque canent minus), omne vovemus Hoc tibi nec tanto careat mihi carmine charta.* Descripsi totum locum, quo equidem nihil vidi horridius et ineptius. Atque haec effutisse Tibullum, scilicet tironem! Verum age de singulis iam videamus! *Seu tibi par poterunt*, haud dubie *par poterunt* hoc loco significat *te aequabunt*, sive *tantum, quantum tu, valebunt*. *Tibi* autem explicant factis *tuis aut meritis ac laudibus tuis*. At pronomen *tu* aut hominem ipsum, quem quis alloquitur, indicat aut, id quod saepissime fit in comparationibus, pro iis rebus ponitur, quae profectae ab altero cum alterius rebus conferuntur, velut si Isocratis orationes cum Lysia comparantur. Itaque verba illa sonant: sive Camenae meae par tuis Camenis poterunt. Sed concedamus, esse hoc loco *par tibi poterunt* positum pro *aliquid par tuis factis ac laudibus*, quid tandem fiat iis, quae sequuntur, *ultra sive minus*? Num etiam *tibi ultra* aut *tibi minus poterunt* latine dici possit? an omnino ab his quidem verbis divellamus pronomen *tibi*, ita ut sola illa restent *ultra et minus poterunt*? Est sane ita faciendum. Video, sed ecquid his ipsis insuaviter est? Atque cum supra dixerit, neque ab aliis neque a semet ipso posse verba factis Messalae exaequari, qui tandem fieri possit, ut carmina non modo assequantur, sed etiam exsuperent rerum magnitudinem? Nempe ipse addidit *quod spes abnuît, sive minus certeque canent minus*. At dicere *certe canent minus* et tamen iactare *seu tibi par poterunt* hominis est inepti et delirantis. Istud ipsum *minus canent* num cuiquam poterit placere? Scriptura *ultra* tantum abest, ut locum sanet, ut eius vitium augeat. *Vovemus* quin germana scriptura sit, non dubito. Denique in voce *carmine* facile quis haereat. Etenim si *charta*, ut multis aliis locis, positum esset pro ipso *carmine* seu *scripto*, (velut Ovid. Trist. III, 1: nullus in hac charta versus amare docet), nullo pacto vox *carmine* stare posset, sed necessario legendum esset *nomine*. Verum *charta* est hoc loco *materies*, in qua scripturus erat poeta. *tantum* autem *carmen* intellige car-

men, quo grande argumentum tractatur aut, id quod probabilius est, carmen maioris voluminis. — v. 32. *Quam tibi maiores maius decus ipse futuris.* Sententia est: tu ipse maius decus futurus es posteris, quam maiores tibi sunt. Apparet, *futuris* esse legendum. Sed ista brevis dicendi et traiectionis vocis *quam* satis indicant, ab homine haec scripta esse orationis componendae non peritissimo. — v. 33. Pro nomine Heynius et Huschkus maluerunt scribi *stemmate*, quod est Italorum. At iure alterum a Lachmanno servatum esse, demonstravit Dissenius, quem vide ad h. l. — v. 36. *canent*: poetae *dicunt*, *canunt* vel etiam *narrant* aut *scribunt*: rerum autem scriptores quis unquam dixerit *canere*, equidem nescio. Nam quod Cicero Thucydidem ait de bellicis rebus canere etiam quodammodo bellicum, est longe aliud. Conf. tamen Virgil. Aen. IV, 14 et Quintil. Instit. orat. l. X, l. 47. Hoc loco zeugma esse volunt: sic, quod defendi nequit, saltem excusatur. — v. 39. Quae hoc loco a viris doctis enotata est scripturae varietas, ea quamquam est fere inutilis, suspicionem tamen movet, aliquid vitii inesse. Id quidem constat, si hic versus sedem suam obtineat, praeter vulgatam nihil esse, quod poni possit. Huschkus tamen codicis Perreiani auctoritatem secutus hunc versum loco movet eumque post versum quadragesimum quartum collocat. At particula *nam* non magis hoc loco molesta est, quam *enim* apud Virgil. Georg. I, 77 (ad. q. l. vid. interpret.). Poeta aggressurus ad celebranda acta, quorum modo mentionem iniecit, particulae *nam* in sequente versu principem locum tribuit. Deinde voces *ve* et *maior* non elegantissime repetitae sunt: sed apud poetam, qualis iste est, haec ratio ad transponendum versum non ita multum valet. Denique particulis *nec — nec* hae sententiae nequam iungi possunt. Nam res, quae inter se conferantur, prius nominentur necesse est, quam eas compares. Quod si utrumque genus, in quo Messala dicitur ceteris praestitisse, non esset commemoratum, qui posset in versu sequente *hic aut hic* dici? Ita autem legendum esse, apparet verbis *castris forove*: praeterea in ea, quae sequitur, similitudine, pondera iam in trutiniae lancibus posita sunt. De totius comparationis vitio monuit Heynius, cui non iniuria assensus est Dissenius. Adde verborum ordinem male perturbatum et *καλλώπιστα* istud orationis *plus prona*, nec dubitabis, quin haec a tirone scripta sint. Tibullone? Immo ab alio eoque non ingeniosissimo. — v. 50. *Vixerit ille senex quamvis dum terna — decurreret horis.* Ita legunt Lachmannus et Dissenius: varia scriptura *decurrerit* et Heynio, quamquam is quidem in annotationibus *decurreret* scriptum mavult, et Wunderlichio atque Huschkio probata est. At perfecto nihil est incommodius. Vide Dissen. ad h. l. — v. 54. *Qua maris extremis tellus includitur undis.* Altera scriptura, multorum sane librorum auctoritate firmata, *excluditur*, defensores nacta est Broukhusium, Heynium, Huschkium. Et hic quidem eam exquisitiorem esse ratus diligenter undique locos collegit, quibus nimirum demonstraret, terras mari quasi terminis quibusdam cobiberi ac repelli quodammodo, et si qui terrestri itinere ad mare venissent, hoc ipsum iis tanquam claustrum obiici. Quae quid huc pertineant, non intelligo. Nam *maris extremas undas* poeta dicit Oceanum, qui terrarum orbem cingit. Horatii ille nobilissimus locus, sive *dissociabilis* sive *dissociabiles* legitur, huic loco conferri nequit.



Heynius etsi sentit, quam ineptum sit *excluditur*, tamen aliqua ex parte illud tuctur, opinatus, positum esse pro *clauditur*: quod fieri nullo pacto potest. Quid *qua* hoc loco valeat, docet Dissenius in annot. ad h. l. — v. 57. *Victa — foedatus lumina*. Confer. Virgil. III. Aen. 657. 662. 677. Ovid. Metam. XIII, 772. Iuven. Sat. IX, 63. Hi prudentius Polyphemo *lumen* tribuunt. Propert. III, 12. 26: *exustaeque tuae mox Polypheme genae*. — v. 60. Scaligero placuit *mobilis*: quod est rivorum epitheton: ceteri viri docti servarunt *nobilis*. Conf. Eustath. ad Odyss. κ. 108. ἴσως μὲν ἰστορικῶς περιφρομένη. — v. 62. *apta vel herbis aptaque vel cantu*. *Aptaque* videtur positum, ut iustus pedum numerus conficeretur. Virgiliano *nam neque — nam neque* inscitiam huius poetae excusari nolim. — v. 64. *Cimmerion* defendi posse, non negem. atque, cum non perspiciam, quid librariorum moverit, ut formam genitivi sibi cognitam cum insolente (vide Schneid. Gramm. II, 1 p. 85 et Koen. de serm. epicor. rom. p. 33) ipsi commutarent, suspensus teneor nec adduci possum, ut Broukhusio consentiam. — v. 67. *Vidit ut inferno Plutonis subdita regno Magna deum proles levibus discurreret umbris*. In versu altero scriptura hodie divulgata vera ac certa est: in altero falsa opinio Huschkium induxerat, ut imperfectum acriter impugnaret. Hodie cum huius temporis ratio satis sit explicata, nemo cum Huschkio sentiet. In verbis *levibus umbris* haesit Heynius, cui cum Passeratii interpretatio videretur a latinitate abhorreere, duas interpretandi vias ingressus vulgatam modo retinet, modo deserit. In varietate scripturae nihil est, quod enotatu dignum sit. Verba *magna deum proles* seu graece *θεῶν ἐρικυδέα τέκνα* omni suspicione vacant. Non minus sanum est *discurrere* idemque rei declarandae aptissimum. Ablativus vero *levibus umbris* aliquid habet offensionis. *Umbris* non pro *Orco* positum esse, ex epitheto *levibus* cognoscitur. Dissenius igitur *discurrere umbris levibus* dictum putat ad similitudinem locutionis *incedere forma humana*. Conf. Luc. Phars. I, 11: *Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta*. Atqui Crassus tum quidem umbra erat. — v. 70. *Illum inter geminae nantem confinia mortis*. Haec scriptura germana est: *tergeminae* autem et *pergeminae* depravatione eius orta sunt. In nonnullis libris legitur *tergemini montis*: quod Heynius *ter* mutato in *inter* non sprexit, anteposuit etiam vulgatae Huschkium; quippe; Homericum locum poetam imitatione expressisse. Nec dubium est, quin ita scribi potuerit: at quanto alterum sit venustius, planum est. (Vid. Dissen. ad h. l.) Quod vero Huschkium suspicatur, poetam duos illos geminos scopulos, quos Scylla et Charybdis feruntur tenuisse, cum *πέτραις πλαγκταῖς* i. e. Symplegadibus (vid. Odyss. ψ, 327) imprudenter confudisse, id cum incertissimum sit, nihil prorsus ad firmandam scripturam *gemini montis* momenti affert. — v. 72. *cum canibus rapidas inter fera serperet undas*. Varia scriptura est *rabidas inter freta*. Puccius dedit *fera*, quod idem in paucis libris legitur. Scripturae discrepantia et rei explicandae difficultas viros doctos ad coniectandi sollertiam excitavit. Coniecturas eorum diligentissime recensuit Heynius. Huschkium opinatus, Ulixem per freta navigantem a poeta hoc loco dici, scripturam unius libri *curreret cupidius arripuit* mutatoque *cum* in *quin* legit: *quin canibus rapidas inter freta curreret undas*: *inter freta* enim idem esse, quod *in*

*freto* aut *inter freti angustias*. In qua re vir doctus vehementer errat. Sed missis his argutiis, quas iam Dissenius refutavit, ipsi singula examinemus. Cum sanum esse, intelligitur ex iis, quae sequuntur *vel si* — *vel si*. *Canibus* suspectum non est. Erat enim Scylla *cincta* vel *succincta canibus*, qui poetis dicuntur *latrantes, saevi, feri*. Ovid. Met. XIII, 730: illa feris atram succingitur alvum. Pseudo-Tibull. III, 4. 89: Scyllaque virgineam canibus succincta figuram: quo loco vox *canibus* omni epitheto caret. *Rapidas* an *rabidas* legendum sit, dubites. Nec enim absurdum foret, opinari, poetam, cum proxime collocatum esset *canibus*, iccirco *rabidas* maluisse, quam *rapidas* scribere. Ac sane rabies canina non ventis modo, sed mari etiam tribuitur. Inde *Scyllaeae rabies* apud Virgilium Aeneid. I, 200. Apud Lucretium V, 890. *rabidis* malim legi. At vero eadem Scylla *rapax* appellatur (Ovid. Heroid. XII, 123) atque undae sexcentis locis *rapidae* vocantur. Quapropter hoc quoque loco *rapidas* retinendum est. Vox *freta* etsi librorum auctoritate maximopere commendatur, tamen velut inutilis herba exstirpanda est in eiusque locum reponendum *fera*. feram autem Scyllam dicit propter canes, quibus succincta saeviebat. Restat *serperet*. Scriptores, quod ego sciam, omnes Scyllam tradunt in spelunca delituisse exsertisque ex ea capitibus insidias struxisse. Conf. Virgil. Aen. III, 424 sq. Haud dubie animo poetae Homericæ illa *σκόπελοι περιμαμύσσα* obversata sunt. *Serpere* igitur eam dicit non pedibus, sed exsertis capitibus, quae monstrum insidiandi causa huc illuc torquebat. Vocabulum *serpere* quantopere viros doctos vexaverit, ex segete emendationum cognoscitur: equidem nihil moliendum puto: si quid peccatum est, non librarius, sed poeta ipse peccavit. — v. 73. *suo more*. Ovid. Met. XIII, 730: Scylla latus dextrum, laevum irrequieta Charybdis infestat: vorat haec raptas removitque carinas. Haec igitur eius consuetudo. Quae sequuntur *vel si* — *vel si* non elegantissime cum *nec* iuncta sunt. — v. 78. *finis et erroris miseri*. Cum Ulixis miseria et orta et finita sit his erroribus, scripturae bonorum librorum plus fidei tribuendum est, quam vulgatae *finis et errorum misero*. Nam et epitheton venuste ad *errorem* traductum est et *misero* videtur emendatione natum. — v. 79. Paulo supra legitur *rapidas inter*, nunc rursus: *nostras inter*: ista quam insuavia sint, nemo non sentit. Mire etiam dictum est *haec inter nostras terras cognita*, nec interpretatione, quae a vera verborum significatione discedat, eiusmodi vitia orationis tegi et occultari oportet. Male etiam *sit* omissum est: quamquam sunt, qui id excusent, quod *sit* primam sedem in hoc versu teneat. Adde *qualiter*, et alia his etiam vitiosiora, velut transitionem eandem male repetitam, orationem obliquam per quindecim versus servatam, et mireris, exstitisse aliquem, qui a Tibullo hoc carmen scriptum esse perseveraret. — v. 88. In castris ponendis cerni poterat imperatoris diligentia, consilium, prudentia (conf. Liv. XXXV, 14. Tacit. vit. Agr. cp. 20). Deligendus erat locus saluber (Claud. I. VIII, 322) quique aquae ac pabuli copiam faceret (Veget. de re milit. I cp. 22). Poeta Messalam ait opportunissima quaeque loca castris metandis deligere. Opportunitates autem tres enumerat: ubi aqua suppetat, aditus hostibus arduus, militibus facilis sit (conf. Sall. Inq. cp. 98), denique ubi satis spatii datum sit ad exercendos milites (vid. Veget. I, cp. 27). Etenim

ne milites in castris stavis otio diffluerent (conf. Tacit. Annal. I, 16), imperatores fortes ac strenui sedulo cavebant, velut Scipio Africanus, qui ut exercitum ante Numantiam ad pristinam disciplinae severitatem revocaret, instituit, ut quotidie milites in opere haberet. quod idem fecit Q. Metellus in Africa, postquam Albini exercitus ei traditus est. Commodissime autem huic loco conferri possunt ea, quae Livius narrat l. XLIV ep. 3. 4: Neminem, inquit, totis mox castris (Aemilii Paulli) quietum videres: acuire alii gladios, alii galeas bucculasque, scuta alii loricasque tergere; alii aptare corpori arma experiri que sub his membrorum agilitatem: quater alii pila, alii micare gladiis mucronemque intueri, ut facile quis cerneret, ubi primum conserendi manum cum hoste data occasio esset, aut victoria egregia aut morte memorabili inuituros bellum. Haec igitur militum studia in castris cum aut excitarentur imperatoris virtute aut inertia eius refrigerarentur, poeta locum sibi datum vidit digrediendi. Quae digressio etsi nimia, qua poeta usus est, diligentia molestiam creat, a laude tamen Messalae non aliena est. Aliter sentit Dissenius, quem vide ad h. l. — v. 91. *celeremve arto*, haec vulgata scriptura est, quam viri docti omnes ad unum reiecerunt. Ayrmano placuit *celeremque*: id melius esse, quam *celeremve*, comparat: atque Heynius non veritus est, Ayrmano assentiri: at multo subtilius iudicavit Dissenius, vidit enim *celeremque* scribi non potuisse, cum *tardo* in altera parte sententiae principem locum teneret. Omnino *celerem* Lachmanno et Dissenio suspectum est. Et iniucunda sane est vocis paullo supra positae repetitio: sed neque ab isto poeta quidquam ad unguem expolitum exigi potest et accidit idem aliis iisque melioribus scriptoribus. Difficile est autem excogitare aliquid, quod *tardo* aptius opponatur. Mihi id unum persuasum est, male inculcatum esse *ve*. Itali coniecerunt *arctato*: quod cur tantoperè Dissenio displicerit, non perspicio (conf. Döderlin. synonym. Tom. IV p. 431 sqq.) Ovid. Remed. Am. 396: *attrahe lora Fortius et gyro curre poeta tuo*. — v. 93. *directo contendere passu*. Dissenius *passu* tuetur, recte enim *directum passum* obliquo equi in gyrum acti opponi. Atque *passus* et tardus et rapidus est, velut lecti illi apud Virgilium oratores *rapidis passibus feruntur* et Atalanta apud Ovidium *passu volat alite*. Sed citatus vel velox passus fere hominis est: equi, ubi citantur, *currunt*. Hoc igitur nomine *cursu* rectius videatur dici, quam *passu*. Nec tamen id tanti existimo esse, ut quidquam contra auctoritatem librorum mutetur. *Citato equo contendere* locutio proba est et frequens. At idem in sequenti versu positum esse, viri docti aegre tulerunt. Operam igitur dederunt, ut coniectura germanam scripturam restituerent. Broukhusius coniecit *compellere*, Crusius *convertere*, Dissenius *decurrere*. Id melius est. Nam cum *contendere* in proxime superiori versu dictum sit, verbum transitivum *compellere* vel *convertere* ad orationis constructionem minus aptum est. Num *decurrere* scriptum fuerit, necne, quis pro certo dicat? Equidem desidero verbum, quod, ut ita dicam, e regione opponatur verbo *contendere*. — vv. 95. *Quis parma — funda*. Pro *grandis venit impetus* reperitur in libris etiam *veniat gravis*, quam scripturam Lachmannus dicit idonea auctoritate carere. De ceteris codices inter se consentiunt: at virorum doctorum magna est dissensio. Dissenius secutus Lachmannum virgula post vocem

gyro posita, haec ita explicavit, ut verba *quis . . . tueri cum possit* iungeret. Atque ita haud dubie construendum est. Post vocem *pilo* tamen maius quoddam signum distinguendi ponendum. Ab his enim verbis oratio transfertur ad contentionem militum levis armaturae. Ut vero paullo supra *aut quis* dictum est, sic hoc loco *aut* vel *ve* addi debebat. Deinde ad verba *dextra velit seu laeva* intelligitur quidem *tueri*: at id ipsum, quod eiusdem verbi *infinitivus* subsequitur nec tamen cum verbo *velit* iunctus est, documento esse puto, scriptorem componendae orationis non peritissimum fuisse. Verba *grandis venit* sana sunt, ut vere vidit Dissenius. Nec vox *amplior* mihi quidem suspecta est. Etenim si *impetus animi verbis amplificari* potest, quidni possit etiam *ictibus impetus hastae amplificari*? Explicandae autem vocis nulla difficultas erit, praesertim si de etymo eius Doederlinio consenseris. Profligata igitur est opinio eorum, qui *amplior* interpretati sunt *praestantior*, *potior* ex eaque voce infinitivos *tueri* et *tangere* pendere voluerunt. Sonat enim *amplior* fere idem, quod *acrior* *crebriorque*. — v. 99. *audacis venient — adversisque parent*. conf. inf. v. 136. Virgil. Aeneid. I, 49: et quisquam numen Iunonis adoret. Praeterea et supplex aris imponet honorem. Frequentem esse hanc modorum variationem, constat: est autem ubique certa aliqua eius ratio: quae vereor ut hoc loco excogitetur. Quapropter si cui minus placuerit scribi *venient — parent*, scribendum erit *veniant — parent* potius, quam *venient — parant*, ut in nonnullis libris legitur. Namque sequitur *desit*: pro quo qui *desit* posuerunt, veriti videntur esse, ne quis *non desit* dictum putaret pro *ne desit*, quod sane absurdum foret. At *non desit* significat »es kann dir nicht abgehen« vel tu is es, cui non desit. Praedicat enim Messalae peritiam instruendae aciei. — vv. 104 — 106. *Seu libeat duplicem seiunctim cernere Martem, dexter uti laevum teneat dextrumque sinister Miles sitque duplex gemini victoria casus*. Ennius apud Cic. de offic. I, 12: ferro, non auro vitam cernamus utriusque: ad quem locum vide interpreti. Notum est, dici *aequo Marte* vel etiam *aequa acie* decernere: quocirca Salmasii coniectura *duplici Marte* probabilis quidem est, necessaria non item. Nam *Martem* intelligimus *proelium* atque ut *rem decernere* multis locis, ita hoc loco *Martem decernere* positum est: quam scite ac venuste, nihil ad rem. Poeta dicit: ubi ad proelium ventum erit, aciem egregie instrues, ut aut aequa fronte acieque frequenti milites proelientur aut media acie curvata, prominente utroque cornu, exercitus dimicet. Acie hoc modo instructa fieri non potuit, quin cornu Romanorum sinistrum dextro hostium, dextrum sinistro oppositum esset. Luc. Phars. VII, 217: cornus tibi cura sinistra — Lentule — datur: tibi . . . Domiti dextri frons tradita Martis. Salmasii igitur *tentet* parum aptum est. In tertio denique horum versuum coniecturam Itolorum *geminis — castris*, quam Broukhusius, Heynius, Huschkius receperunt, reiecit Lachmannus: iure id factum esse, docet Dissenius, cui ut consentiamus, res ipsa nos cogit. *Victoria gemini casus*: dicere videtur poeta victoriam, quae pariat hoste utrimque devicto sive strage hostium utroque in cornu edita. conf. Tacit. Ann. VI, 44. XII, 28. — v. 108. *testis quoque fallax Pannonius, gelidas passim disiectus in Alpes*. Sic Heynius, Huschkius, alii interpunxerunt: recte, nec potest aliter distinguui. Rem docte

illustrat Heynius, ut de scriptura *Alpes* dubitari nequeat. Hostem perfidum et insidiosum devincere, est magnum aliquid ac difficile. Veruntamen modo *fortem Iapydiae militem* et paullo infra *Arupinum pauperem in armis natum* dixit: et Messalae bellica laus non tam ex fallacia, quam ex ferocia hostium quaerenda erat. Sed esto istuc quidem: iure autem Heynius negat, hostem propterea, quod semel fidem exuerit, fallacem sive ad fraudem ac perfidiam proum et proclivem dici posse. Tales Parthi erant, quos Horatius *mendacès et infidòs* vocat. At Romani in alios quoque populos, si seruitutem detrectarent, haec probra iaciebant. — v. 112. *Terna minus Pyliae miretur secula famae*. Apparet poetam dicere, si quis viderit, quantum hi homines, etiamsi sint aetate proveci, corporis viribus valeant, minus eum admiraturum, quod Nestor cum nonaginta annorum esset, nondum aetate confectus fuerit. *Famam* poni posse pro iis ipsis, quorum nomina celebrantur, nemo ignorat. Pindari tamen loco (vide Dissen. ad h. v.) nimia locutionis audacia, qualis ista est, excusari aut defendi non potest. Pindarus enim Nestorem et Sarpedonem postquam nominavit, addit *φάτις ἀνθρώπων*. At iste bonus poeta *terna* dicit *secula famae Pyliae*: quod, nisi omnia me fallunt, iusto insolentius dictum est. Qui sequitur versus: *namque senex longae peragit dum secula vitae* a plerisque viris doctis subdititius habetur. Et est ille supervacaneus atque verborum *secula vitae* repetitione molestus. In subsequentibus verbis nihil video, quod sit ambiguum: praesens enim verborum *gaudet et sedet* satis indicat, non *Nestorem* dici, sed *Arupinos*. — v. 113. *Centum fecundos Titan revocaverit annos*. Vidit Huschkus, non posse *revocari* nisi ea, quae intermissa vel omissa essent aut etiam quae eo, unde profecta essent, redire cogerentur. Verum subito mutata sententia vitium scripturae, quod nonnullis in libris est, anteponit ipsi scripturae *renovaverit*. *Revocantur* nimirum dies festi, sacra, ludi: itemque, ubi tempus pro iis rebus, quae hoc ipso tempore aguntur gerunturve, positum est, annus etiam et dies et nox certa aliqua revocatur. Apud Senecam autem, Epist. 93, quem locum Huschkus attulit, temporis spatium, qui annus vocatur, cum iisdem semper vicissitudinibus descriptum sit, recte dicitur per eas *revocari*. Sol igitur diem, lucem, annum revocat i. e. cursu suo facit, ut certus aliquis dies vel annus redeat, velut centesimus. eodemque modo Sol centies annum revocare potest: centum annos non potest: hos renovat i. e. cursu suo facit, ut confecto centum annorum numero alterum seculum incipiat. Atqui poeta intelligi voluit, Arupinos vel exacto centesimo aetatis anno viribus ac corpore valere. Quod adiectum est *fecundos* Heynius epitheton ornans dicit. Quid? nonne poeta de tempore solo loquitur? parum apte ergo locutus est. Nec tamen quidquam mutandum. — v. 115. Heinsii emendatio, quam Heynius non ita necessariam existimat, est una verissima. *Gaudet* enim cum infinitivo iunctum, ut Graecorum *φιλέει*, non tam *solere* significat, quam animi *caussa aliquid facere*: inde illud consequitur, ut tale quid saepius faciamus. *Validisque sedet moderator habenis*. Conf. Horat. C. III, 4, 56: et evolsis truncis Enceladus *iaculator* audax. Recte autem sensit Heynius, epitheton *validus* a sessore ad habenas translatum esse idque eleganter. Nec minus apparet, venustius dictum esse *validis sedet moderator habenis*, quam *validis sedens mode-*

ratur *haben*s. Ceterum *sedere* est fest *sitzen*. — v. 116. *Te duce non alias conversus terga domator Libera romanae subiecit colla catenae*. Sententia plana est. poeta dicit: cum eo hoste, qui antea nunquam terga verterat, nunc te duce debellatum est. In verbis tamen aliquid offensionis inest. Ut praetermittamus vocem *domator* (vide Reisig. schol. grammat. § 145, 1 p. 236), ellipsis verbi *equorum* durior est: in qua re valde dissentio a Dissenio, qui hanc vocem facile ex iis, quae paullo supra leguntur, repeti posse arbitretur. Etiam ordo verborum *Te duce non alias terga conversus — subiecit* mihi non admodum placet. *Libera terga* dictum, ut apud Horat. III, C. 5, 22: *retorta tergo brachia libero. Colla catenae*. Horat. II, 12, 12: ductaque per vias Regum colla minacium et II, 13, 13: *catenas Parthus (timet) et Italum robur*, — v. 127. *Nulla nec aerius volucris*. Recte Dissenius patrio sermone explicat: auch gleitet nicht kein Vogel. Apud nos hodie vulgus ita loquitur: apud veteres vel elegantissimis scriptoribus talia exciderunt. Vide Zumpt. ad Cic. Div. ep. 18 § 60. Huschk. ad v. 164. *Quin* optimorum librorum auctoritate stat. Quae vox cum hoc loco haud dubie *quae non* significet — vere enim vidisse mihi Huschk. videtur, verba *perlabitur et depascitur* pro *tenui est* posita esse — coniectura eiusdem viri docti *sit* haud indigna est, quae reponatur. Denique *aspera quadrupes* dictum est, ut apud Horatium *leo asper tactu*. tribui id epitheton omnino feris rapacibus, constat. Scriptura paucorum librorum *cum* cur repudianda sit, docet Dissen. ad h. l. — v. 134. *Additus aris*. Scaliger *abditus* legit idque, ut Heynius quidam testatur, ad Iovem *retulit*. quod qui fieri possit, non intelligo. Huschk., cui eadem scriptura probata est, non *Iovem*, sed *ignem* ait dici *abditum*. Quam opinionem ut tueretur, et vocem illam mire interpretatus est et locum attulit Valerii Flacci huic dissimillimum. De interpunctione recte Dissenius. namque maximum distinctionis signum tollendum est post verbum *annuit*: est enim asyndeton idque explicandum »und sogleich leuchtete heller auf«. At, nisi fallor, ad vim asyndeti declarandam oratio minus commode comparata est. Scribendum erat: aut *affuit* Iupiter ipse — *annuit*: laetior *elucet*: aut *adest* Iupiter — *annuit*: laetior *eluxit* ignis. — v. 142. Hunc versum Heinsius et Lachmannus coniectura tentarunt: qua coniectura in tanta rei obscuritate nihil fieri potest felicius. Aliquam tamen suspicionem vox *Carystia*, quamvis depravata sit, in animo relinquit. *Arcteis* dubium nomen manet. Cum *arente Gynde* Xanthi arentem rivum (Virgil. Aen. III, 350) conferas. *rapidus Cyri dementia Gyndes*: intelligimus *olim rapidum*: non enim, dum rapidus erat, sed postquam a Cyro in trecentos rivos diductus et paene exsiccatus est, monumentum regiae dementiae exstitit. Conf. de hoc genere epithetorum Iacob quaestt. epic. p. 66. — v. 145. Lachmannus verba *ultima vicinus Phoëbo tenet arva* parenthesis signis inclusit: quod mihi etiam molestius videtur esse. Schrader reposuit *vel* eumque secutus est Vossius. Atque ita legi in libro Monac. Huschk. testatur. Negari nequit, haud commode ea, quae a versu 140 exponuntur, cum verbo *remorabitur* iungi. Equidem puto post vocem *colono* maius distinguendi signum ponendum: cetera ita interpungenda esse, ut intelligatur, ea, quae subsequuntur, *Nec qua vel Nilus* usque ad vocem *armis*, membra seu partes esse eiusdem sententiae, cuius summa

verbis *Nulla tibi adversis regio se offeret armis* comprehendatur. Paulo supra poeta dixit: non Gallia, non Hispania, non Cyrenaica te remorabitur: tum variata oratione addit: nec qua Nilus, Choaspes, Gyndes, Araxes, Padaeus, Ister, Tanais fluit, denique qua Oceanus orbem terrarum ambit, ulla gens sese tibi adversis armis offeret. Pro *nulla* sane dicendum erat *ulla*: sed vid. v. 127 et 164. Male etiam v. 144. *qua* omis- sum est. Sunt et alia hoc loco, quibus appareat, huic poetae et ingenium et artem de- fuisse. — v. 151. *Circumfuso consistit in aere tellus*. Heynius scripturam vulgatam modo tuetur, modo deserit. Etiam Huschkius, etsi Martiani Capellae verba, quibus *consistit* firmatur, ipse attulit, Heinsii tamen emendationi *considit* calculum adiicit. At *consistit* et librorum auctoritate stat et re ac ratione probatur. Iure igitur illud a Lachmanno et Dissenio servatum est. — v. 157. Vehementer dubito, num omnino dici possit *Sol ortus super ingerit*. Conf. Virg. IV, 119. Ovid. Met. VII, 663. Recte igitur Lachmannus et Dissenius ex libris dederunt *super egerit ortus*. Dictum videtur esse ad similitudinem locutionis *currus, equos, cursus agere*. In subsequen- tibus *exsurgit* potius esse, quam *consurgit*, ipsa res docet. — v. 167. *Quas utrimque tenens similis vicinia caeli*. Sic Broukhusius ex tribus libris, quos Lachmannus dicit pessimos esse, divulgavit. Huschkius ex Ald. 1515 *similes* repositum vult. At hoc modo id ipsum, quod caput est totius rei, praetermitteretur. Exponenda enim causa erat, quamobrem haec zona temperata esset. Retinendum ergo *similis*. De producta syllaba vide Dissen. ad h. l. — v. 168. Vossii *ut — necet* probari non potest: docet enim poeta, unde haec temperies nascatur. Particula *et* vicem particulae causalis sustinet. — v. 175. *ubi praeclaros ierint tua facta triumphos*. Vulgata est *praeclaros poscent*: quam Hey- nius haud spernendam iudicat. At vero poeta Messalam dicit non ante triumphum, sed post triumphum tantam nominis famam consecuturum esse. In codice Cuiac. scriptum est *praeclaros ierint*: ex hac scriptura Scaliger refoxit *per claros ierint*. Cic. pro Balbo cp. 2. Pompeii res gestae omnes gentes cum clarissima victoria terra marique peragravit. Liv. 35, 12: peragratusque orbis terrarum victoriis eius gentis referebatur. Itaque aut sententia est: Messala in utroque orbe reportatis victoriis belloque finito magnus dicitur aut si iusti triumphum honores poeta intelligi voluit, *per claros ire facta triumphos* dictum est, quia, cum urbium captarum, castellorum, fluviorum, montium simulacra ad repraesentandas res gestas transveherentur, facta ipsa quasi per triumphum ibant. Altera tamen interpretatio mihi magis probatur. Lachmannus coniecit *cierint*. *Nomine triumphum cieri* ex Livio notum est. Sed hoc huc nihil pertinet: *facta* autem *cierint triumphos* num quis veterum ea, quae hoc loco requiritur, signifi- catione dixerit, nescire me fateor. — v. 180. *Est tibi, qui possit magnis se accin- gere rebus*. Ex his versibus profecto nihil equidem dispicio, nisi poetam istum Valgio tantum tribuisse, ut eum existimaret posse, si vellet, res a Messala gestas dicere optime. Quemadmodum vero ex iis conici possit, Valgium carmen epicum non per- fecisse quidem, sed inchoasse tamen, non video. Itaque Weichertii opinio mihi magis, quam Dissenii probatur. *Aeterno autem Homero* dictum est, ut Ovidii illud (A. A. III, 413): *Ilias aeternum si latuisset opus*. — v. 181. Ut collocata est particula *non*,

hunc locum necesse est hoc modo explices: *non, ut multorum, quos talis fortuna vexat, noster labor peragit languida otia. Ut mos est illi i. e. ut fortuna adversa defatigare seu opprimere poesis studium solet.* Si quae in his versibus languent, ut languent, poeta est reprehendendus, non librarii accusandi sunt. Ceterum Ovid. Trist. V, 12, 59: Nec tamen, ut verum fatear tibi, nostra teneri a componendo carmine Musa potest. et paullo infra (v. 64): Ponitur iccirco noster in igne labor. Ibid. III, 14, 33. ingenium fregere meum mala. IV, 1, 95: Saepe tamen dixi: cui nunc haec cura laborat. Quae quam sint huius loci similia, apparet. Poeta dicit: quamvis cum adversa fortuna conflicter, tamen non languo segni otio, sed componendis carminibus operam do. Quod Heynius pro *non* scriptum maluit *nec i. e. nec tamen displicet*; quid? *nec* hoc loco ne potest quidem ita explicari. Non magis *peragit* tentandum est. Narrat enim, quid eo ipso tempore agat: paullo infra, ubi legitur: *sed licet asperiora cadant, non te deficient*, futurum necessario ponendum erat. — v. 183. *Nam mihi, cum magnis opibus domus alta niteret, cui fuerant cet.* Ita haud dubie distinguendum est, contra quam Heynius et Huschkius fecerunt, qui post *nam* interpungi iubent. Ordo enim verborum is est, quo verba *nam mihi* iungantur cum iis, quae infra leguntur, *nunc desiderium superest*. At duo sunt, quibus offendar: quorum alterum aequiore animo feram, alterum non item. Mallem esse scriptum: *nam mihi, cui magnis opibus domus alta nitebat, cui fuerant cet.* Ita enim tria, quibus pristina huius hominis opulentia cerneretur, exposita essent: domus lautitia, agrorum ubertas, pecoris multitudo. Ut nunc leguntur, poeta dicit: quo tempore mihi fertiles agri et laeta pascua erant. Verum esto istuc quidem. Magis mihi displicet ordo verborum mire turbatus. Dicendum erat: *Nam mihi, cui, cum ... niteret, — fuerant.* Nec traiectio vocis *cum* in elegantibus orationis numeranda erit. — Pro *ordine* nonnulli coniciebant *horrea*: quod ne Dissenius quidem respuit. Crusius coniecit *distantes*: Heinsius *horrea culmi*. At neque geminandae vocis *horrea* ulla est ratio, et coniectura *distantes* vehementer languet. *Ordine* autem neque explicaverim *alius post alium*, quamquam in Alcinoi hortis τὰ μὲν φύει, ἀλλὰ δὲ πέσσει et in Italia *bis pomis utilis arbor*: neque cum verbis Horatii (Carm. III, 1, 9: *est ut viro vir latius ordinet arbusta sulcis* aut cum loco Virgiliano (Georg. II, 277.), quo tam egregie quincunx describitur, haec conferam: sed *ordinem* intelligo eum, quo et ducti erant sulci et demetebantur. Nam *flavi sulci* frumenta declarant: haec autem κατ' ὄγκον demeti solebant. *Horrea fecundus ad deficientia messes*. Conf. Virgil. Georg. I, 49: illius immensae ruperunt horrea messes. — v. 195. Ineptissime hoc loco nugari hominem, iure monuit Heynius, cui suffragatus est Dissenius. Idem Wunderlichium Horatii et Propertii auctoritate has ineptias defendentem egregie refellit. — v. 197. *Sam quodcumque, tuum est*. Hoc loco *tuum* valet *tibi dicatum*: apud Horatium IV, 3, 23: quod spiro et placeo ... *tuum est* significat *tibi debeo, tibi acceptum refero*. — v. 199. *non mihi regna Lydia, non magni potior sit fama Gylippi*. Alterum est notissimum. Conf. Hor. III, 16, 41. alterum autem nemo facile erit quin miretur. Itaque Heynius, Huschkius, Dissenius, alii *Philippum* potius, quam *Gylippum* legendum censent. Id certe melius: at Achilles,



Alexander, nonne multo illi clariores, quam vir Macedo, qui auro plura, quam armis oppida cepit? convenit tamen et huius personae non minus, quam Achilli aut Alexandro epitheton *magnus*. Gylippus dux erat clarus, qui num omnino *magnus* dici possit, dubito. Poetam an librariorum peccasse dicam, incertus sum. — vv. 200 sq. *Posse Meleteas nec mallet vincere chartas*. *Chartas* saepe pro *carminibus* positum esse, nemo ignorat. (Vid. Horat. IV C. 8, 20 et 9, 30. Ovid ex Pont. IV, 12, 27.) Vulgatam *mittere* tuetur Heynius: esse enim *emittere* seu *divulgare*: consentiunt ei Vossius et Bachius. Dissenius autem negat *mittere* unquam hac significatione a poetis usurpatum esse. Atque *chartas mittere* quis non putet dictum, ut *epistolam* vel *litteras mittere* (conf. Ovid. Art. amat. II, 273.)? quod tamen ab hoc loco alienissimum est. Nam et divitias et bellicam gloriam, quin etiam eam ingenii famam, quae possit homericæ poesi palmam eripere, sese ait posthabere gratiae et existimationi Messalæ. *mittere* mihi videtur inventum esse, ut modestiae scriptoris consuleretur: sed istud crimen aliquanto levatur imperfecto *mallet*. Qui sequuntur versus *quod tibi si versus noster totusve minusve vel bene sit notus, summo vel ineret in ore* ab Heynio et Huschkio acriter exagitati propugnatores nacti sunt Dissenium. Is enim asseverat, Huschkium falli, quod haec barbære dicta clamet. Sententiam esse, *totusve minorve pars toto vel sive totum carmen sive pars eius*: in sequentibus autem versibus constructionem ad potius genus, ad masculinum, redire. Haec ille. At vero quae est ista generis enallage, aut quis unquam latine dixerit *versus totusve minusve*? subsequentibus autem verbis *vel bene notus* quam ambigue dictum est istud ipsum *minus*! L. III, 1, 20. si nostri mutua cura est An minor, an toto pectore deciderim. Ovid. Fast. II, 154: Aut plus aut medium sole tenente diem. Metam. XI, 478: Aut minus aut certe medium non amplius aequor Puppe secabatur. At haec illis nullo pacto conferri possunt. Heinsii *totusve minorve* nihil expedit. Si scriptum esset *totus minor illis* sc. chartis Meleteis, planum esset, poetam dicere: *tanti mihi est, a te laudari: quamobrem si carmen meum, quamvis ad homericæ poesis praestantiam ne adspirare quidem possit, tibi placuerit aut saltem non penitus displicuerit, ad summum studium poesis tuis laudibus consecratae accensus ero*. Quibus verbis aliqua foret similitudo cum Horatianis: Non si priores Maeonius tenet cet. (IV C. 9, 5). Ut vero nunc haec leguntur, inculta atque impolita et horrida sunt: explicent, sanent, defendant ea alii: equidem non contendam. — v. 204. *Quin etiam mea tunc tumulus cum texerit ossa*: supra III, 3, 9. *tunc cum*. Qui ordo verborum si hoc quoque loco servatus esset, nihil foret offensionis. Broukhusius ex libris nonnullis dedit: *quin etiam mea cum tumulus contexerit ossa*. Atque vox *contegendi* proba est et aliorum scriptorum usu commendata. Sed recte Dissenius vidit, *tunc* retinendum esse potius, quam eiciendum. In hac re ei consentio: sed negari non potest, hanc vocem male trajectam esse. Verum quae est istius poetae inertia, haec et alia eiusmodi non emendanda, sed ferenda sunt.

C. II. v. 7. Scriptura *movit* non deserenda est. Vid. Wunderlich. et Huschk. ad h. l. Quod in paucis libris pro *movit* legitur *flectit*, frequens quidem ac tritum (conf. Virgil.

Aen. VI, 546: *vestigia torsit*), sed hoc loco minus aptum est: quippe enim poeta ipsum *incessum* dicit. Res eadem commemoratur Ovid. Art. amat. III, 299: Est et in incessu pars non temnenda decoris, allicit ignotos ille fugatque viros. — v. 9. Simillima inversio est Ovid. Am. II, 5, 43, quem locum iam attulit Heynius, et Art. amat. II, 217 sqq. Huschkii coniecturam *fudit* merito improbata est Dissenio (vid. eius comment. de poesi Tibull. p. 160.). Etenim capilli nodo constricti simul ac solvuntur, ipsi funduntur. Quod cum ita sit, scriptor neutiquam eam migravit legem, contra quam Huschkus poetas negat unquam egisse. De re ipsa confer Horat. C. III, 4, 61. II s. 23. Ovid. Metam. IX, 90. Art. amat. III, 142. Am. I s. 10. — v. 13. *aeterno Olympo*. Quod in nonnullis libris reperitur *aetherio*, Heinsio, Vulpio, Huschkio non displicuit: multo subtilius Heynius et Dissenius rem indagantes scripturam *aeterno* germanam esse iudicarunt nec quisquam hodie ab iis dissentiet. — v. 16. Virgil. Georg. IV, 335: *vellera fucata* Horat. C. III, 5, 28: *lana fuco medicata*, quibus locis alii sexcenti addi possunt: nihilominus tamen stat scriptura *succis*. Plin. Natur. Hist. IX, 62: *purpureae cum cerificavere, fluxos habent succos*. Confer omnino Heyn. ad h. l. — v. 19. *gemmas Proximus Eois colligit Indus aquis*. Scaliger cum Aldo pro *gemmas* dedit *conchas*, quod Heynio probatum est, quod in mari *margaritae*, non *gemmae* legentur. Vide etiam Heins. ad Ovid. Art. am. III, 124. Egregie tamen Vossius et Huschkus scripturam *gemmas* ab omni suspitione defenderunt. Propert. I, 14, 12: Et legitur rubris gemma sub aequoribus. Ovid. Art. am. III, 129: Vos quoque non caris aures onerate lapillis, quos legit in viridi decolor Indus aqua. Quo eodem loco scriptura *aquis* contra Scaligeri coniecturam *equis* munitur: quae coniectura probari posset, si de Indiae situ ageretur: verum totius loci venustas, ut recte animadvertit Dissenius, in dilectu rerum inter se oppositarum cernitur. Itaque sicuti supra *bene olentia arva et odorata seges*, sic hoc loco *litus rubrum et Eoae aquae* iuncta et composita sunt. — v. 23. *Hoc solemne sacrum. multos hoc sumit in annos: dignior est vestro nulla puella choro*. Varietas scripturae *sumit, sumat, summet, fumet*, nihil praebet, quod cuiquam placeat. Vulgata *celebretur* coniectura videtur esse. Depravatum esse locum viri docti inter se consentiunt: sed quae germana fuerit scriptura, incertum est: coniiiciunt alii aliud. Lachmannus signo distinctionis post vocem *sacrum* posito *sumite* scribi iubet. Notissima locutio est *materiem sumere* explicandam, enarrandam: velut Horat. I. C. 12: quem virum sumis celebrare Clio. Sententiam vero viri docti volunt esse hanc: hoc solemne sacrum sit: hoc sumite in multos annos *ornandum, celebrandum* (vide Dissen. ad h. l.). De vi praepositionis *in* Huschkus monuit: sed equidem adduci non possum, ut credam, *in* usquam idem valere, quod *per*: aliud est enim *per horas omnes*, aliud *in horas omnes* aliquem expectare (conf. Prop. III, 29, 13.). Sed ut praeterrmittam omissum *sit*, num infinitivus aut participium verbi *cantandi* commode potest ex superioribus repeti? Dubito. In excerpt. Lips. legitur *servet*: inde coniiicias *multos servetis in annos*: nec absurdum id foret, sed paullo languidius. Poeta modo dixerat: *hanc, Musae et Apollo, cantate*: deinde in ultimo versu dicit *nulla puella vestro choro dignior est*. Ex his ipsis verbis id certe

intelligitur, scriptum fuisse *sumite* potius, quam *sumet*. Loquitur autem poeta de solemnibus sacris, quo veteres diem natalem celebrabant (conf. Horat. IV c. 11.), ac precatur, ut idem multos per annos fiat i. e. ut puella diutissime vivat. Conf. Ovid. Trist. V, 5, 23: Vivat ... consumatque annos sed diuturna suos. Sententia igitur plana est: sed vox *sumet* suspecta ac dubia manet. Mihi in mentem venerat: Huic solemne sacrum multos hoc *solvite* in annos. Propert. III, 10, 31. annua solvamus thalamo solemnibus nostro Natalisque tui sic peragemus iter. — C. III. v. 3. *acuisse in proelia*. Ovid. Metam. VIII, 1, 369: Dentibus ille (aper) ferox in querno stipite tritis. Res iam ab Homero commemorata est Il. XI, 416. XIII, 475. Vide Voss. ad Virgil. Georg. IV, 71. Heynius, qui scripturam *in pectora* meliorem duxit, a Vossio refutatur, cum aper non pectus venatoris, sed latera eius et coxas dente petat. — v. 4. Frustra nonnulli viri docti verba *venandi Delia cura* tentarunt. est enim *venandi cura* studium venandi, quo iuvenis animus occupatus erat. *Delia* autem pro *Diana* seu *delia dea* positum est. quamquam ut *delia furta* apud Statium, sic hoc loco *delia cura* dici potuisse non negaverim, tamen paullo est audacius dictum, ita ut mihi ab horum carminum elegantia abhorrere videatur. *Sed* positum est, quia puella, quae paullo ante *Amoris* mentione facta sese huic uni vacare fatetur, vehementer dolet, iuvenem suum studio venandi abduci; unde coniicit, plus hanc curam, quam amorem in animo adolescentis valere. Veruntamen id magis ex tota sententia, quam ex una particula *sed* cognoscitur, quam Dissenius dicit dolentis esse. Ceterum conf. Hor. I, 1, 26: Manet sub Iove frigido venator tenerae coniugis immemor. — v. 13. *Cervae* reposuit de conjectura Broukhusius. At ratio, qua ille ductus est, non tantum valet, ut scripturam *cervi* abiiciamus. Horat. I, 15, 29: cervus uti vallis in altera parte cet. — v. 15. Temere ab Heinsio *si in sic* mutatum esse, docet Dissenius. *Concubuisse arguar* sunt qui decentius dictum esse velint pro *concumbam*: equidem puellam aestu amoris vel libidinis eo delatam video, ut nihil curet hominum existimationem. Iure autem Dissenius verecundiam ridet interpretem in levanda libidinis prorumpentis foeditate male collocatam. Erat haec morum degenerum pravitas non ficta, sed vera, quae illis utique temporibus per sexum muliebrem latius grassata dolorem et iram graviorum hominum excitavit. Quorsus igitur haec turpitudine a similitudine *mythicae aetatis* repetatur? — v. 19 sqq. *Nunc* necessario reponendum esset, etiam si in nullo codice legeretur. *tange* (v. 20) in plurimis libris est: *tende* in paucis reperitur, sed Broukhusio, Heynio, Huschkio probatum est. Lachmannus *tange* retinuit eique assensus est Dissenius: ceteri *retia* negant sacra fuisse: sacrae autem res ne tangerentur, nisi puris vel castis manibus, cautum fuisse. At quid prohibet, quominus poeta fingat, puellam et de salute et de fide iuvenis sui sollicitam legem Dianae i. e. eam castitatem, qua haec dea et ipsa erat et omnes suas comites iussit esse, etiam ad instrumenta venatoria transferri eaque a iuvene nisi casta manu non tangi voluisse? Amor enim non minus est ad deludendas, quam ad inveniendas religiones sollers. Itaque etsi *tendere* et *pangere retia* locutiones sunt a scriptoribus saepe usurpatae, vulgata tamen *tange* tantum abest ut posthabeatur, ut hoc quidem loco alteri etiam anteponenda sit. — *et quaecunque*

*subrepat* (v. 21). In aliis libris *subrepat*, in aliis *subrepet* legitur: id cur ferri non possit, non dispicio: *ferri* dico: nam potiore esse alteram scripturam, manifestum est. quippe, praesens enim sollicitudini puellae magis convenit. — *At tu venandi studium concede parenti*. Si puella latine locuta est, non potest *parens* nisi adolescentuli intelligi: si *puellae pater* diceretur, addito opus erat pronomine *meo* vel *mihi*. — C. IV. v. 1. *morbos expelle*. Haec scriptura satis munitur Horatii loco, quem attulit Broukhusius (Ep. II, 2, 137). Nec dubium esse potest, quin *expellere* fortius sit, quam *depellere*: illud enim declarat, morbum in medulla insedissee. Horat. II. C. 2, 14: nisi caussa morbi fugerit venis. Vossii *averte* nemini probabitur. — v. 3. *nec te iam*. Conf. II, 5, 19. Frustra igitur Wunderlichius ordinem verborum tentavit. Vid. Huschk. ad h. l. — v. 6. *Neu notet informis pallida membra color*. In proxime superiori versu, ubi legitur *ne macies pallentes occupet artus*, facile possit conici *languentes*. Est enim languor proprius huius morbi. Conf. III, 5, 27. II, 6, 49. Atque omnino corpus morbo affectum aliis quoque scriptoribus *languere* dicitur. At etiam *pallor* macie efficitur. Ovid. Epist. Heroid. XI, 27: fugerat ore color: macies adduxerat artus et ib. XXI, 215: concidimus macie: color est sine sanguine. Utrumque vero iunctum est ib. v. 13 sqq.: *languor* enim causis non apparentibus haeret: adiuvor et nulla fessa medentis ope: quam tibi nunc *gracilem* vix haec rescribere, quamque *Pallida* vix cubito membra levare putas? Naturae igitur huius morbi utrumque *pallentes* et *languentes* consentaneum est: sed displicet repetitio eiusdem vocis: mire etiam dictum est *inf. col. not. membr. pallida*: informis enim color sonat pallorem. Itaque Broukhusius pro *pallida* coniecit *squalida*; quam coniecturam refutavit Heynius, derisit etiam Huschkus. Huic admodum probatum est *candida*, quod Heynius ex ed. Roman. (vid. Lachm.) reposuit. Consentit ei quidem Dissenius, sed simul monet, Horatii loco, quem Vossius attulerit, rem minime transigi: illam enim puellam floruisse: at hanc aegrotare. Quidni igitur scribatur: *languida membra color*? Epitheton *candida* egregie quidem oppositum est *informi* et saepenumero poetae rei alicui epitheton adiiciunt, quod declaret, quae illius, prius quam corrupta et in deterius prolapsa sit, vis et natura fuerit (conf. supra IV, 1. v. 141): re tamen accuratius considerata cum Dissenio senties. (Vid. eius annot. ad h. l.) — v. 8. *Devehat*, quod Heynius coniecit, reposuerunt autem Broukhusius, Heynius et Huschkus, et per se probum est et usu scriptorum probatur: at alterum *evehat*, quod Vossius, Bachius, Lachmannus et Dissenius dederunt, cum sit altero fortius et commendationem habeat librorum, servandum est. — v. 9. *sopores* explicant medicamenta soporem efficientia: sed rectius sentire videntur, qui omnino salubria intelligi ideoque *sopores* scriptum malint (conf. Virgil. Georg. IV, 62). Huic scripturae etiam Heynius in annotationibus suffragatus est. Huschkus autem etsi loci Virgiliani (Aen. VII, 757) probe meminit, tamen germanam scripturam posthabuit. Sex qui sequuntur versus in aliis libris alio ordine leguntur: de qua re nunc nihil attinet dicere: est enim dudum illa iudicio virorum doctorum confecta: sed mirari licet, quemadmodum in re tam manifesta quisquam haerere potuerit. De vi vocis *credula* conf. Horat. C. I, 5, 9. *Sedet* recte explicatum

est ab Heynio. Nec vero verbum simplex pro composito dictum puto: est potius in illo irrisionis quaedam significatio, quae in hoc nulla est: illud enim valet *festsetzen*, quod ipsum ridetur, quippe quod iuuenis, etsi absit, totum tamen puellae animum solus occupet. Itaque *sedet* explicat: *adest ista turba et ita adhaeret, ut paene divelli nequeat, sed frustra.* — v. 22. *restituisse duos.* Horat. C. II, 17, 9: Ille dies utramque ducet ruinam. haec illis plane sunt contraria. — v. 23. *celeber* i. e. iam te precibus et sacris colemus. Conf. II, 1, 83. Virg. Ecl. I, 1, 7. — v. 24. *laetus* Huschkius refutata Heynii opinione egregie defendit. — C. V. v. 1. *Hic mihi sanctus.* Horat. IV, 11, 15: qui dies ... Iure solemnis mihi sanctiorque Paene natali proprio. — v. 3. *servitium.* conf. Id. C. II, 8 extr.: adde quod pubes tibi crescit omnis, servitus crescit nova. *dederunt.* vide interpret. ad Hor. II, 16, 38. — v. 6. *Si tibi de nobis mutuus ignis adest.* Heynius *de nobis* explicat de nostro igne quasi particula aliqua: cui consentiens Dissenius addit, *ut dimidia pars sit in utroque.* *De nobis* est von mir her. Justin. IX, 1, 5 pecuniae commercium de piratica mutuatur. Simili modo dictum est hoc loco *de nobis mutuus.* Puella enim, cum fatetur, se uri, docet simul iuvenem, unde eius amor accendi possit. Quod Dissenius *de dimidia parte* monet, id ex voce *mutuus* potius, quam ex praepositione *de* cognoscitur. — v. 9. *Mane Geni.* In Gryph. 1546 *magne* legitur; quae scriptura unde profecta sit, Lachmannus incertum esse dicit. Antiquitus *mane* pro *bone* seu *sancte* dictum est. Sed recte Heynius, Huschkius, Dissenius iudicarunt, verba obsoleta ab huius carminis nitore et elegantia aliena esse. Consentio. Scriptura *mane veni* quin depravata sit, non dubito: requiritur enim nomen *Genii*. Heynius coniecit *Alme Geni*: Scaliger reposuit *magne*. Verum plerumque poetae *Genii* ita mentionem faciunt, ut nullo eius nomen adornent epitheto. nec tamen *naturae deus humanae qui temperat astrum* magnus appellari non potest. Atque Broukhusius narrat, in saxo Puteolano *magnum* eum dici. Propert. III, 10, 1. Mirabar, quidnam misissent mane Camenae . . . . Natalis nostrae signum misere puellae. Fortasse igitur legendum: *Mane, Geni, cape tura* cet. Sed videant acutiores. Pro *tura* Heynius quorundam auctoritate librorum confisus *dona* reposuit: quod idem Huschkio admodum placuit. At cum constet, *tus* praecipuam fuisse sacrorum partem, saepe etiam a poetis pro sacris poni, equidem non video, cur scriptura *tura* alteri cedat. De sexcentis locis satis erit attulisse Ovid. Trist. III, 13, 16. Horat. III, 23, 34. — *Calet.* In libris reperitur *valet*, inde vitio scripturae nata sunt *volet*, *velit*. *Calet* Itali dederunt. Res est plana: quo igitur plura? — v. 12. Quod est de Itolorum coniectura *Tu precor*, probatum est Heinsio, Broukhusio, Vulpio et Heynio, qui II, 3, 64 contulit. At hoc loco nihil efficitur. Sana est scriptura *tunc*. est enim graviter dictum. Vide Huschk. ad h. l. — v. 16. *Nulla queat posthac nos soluisse dies.* Haec est honorum librorum scriptura. In aliis autem libris legitur *quam soluisse*: in aliis etiam *posthac exsoluisse* vel *dissoluisse*. *nos* Statius et Scaliger receperunt: idem placuit Lachmanno et Dissenio. Heynio contra et Huschkio *quam* unam verissimam scripturam esse existimarunt. Ac sane permultis locis legitur *solvere catenam, vincula, nexus, nodos*: quis ignoret? Verum et asyndeton hoc loco magnam vim habet et

multo fortius est pronomen *nos*, quam relativum *quam*. Etenim cum poeta modo de vinculis mutui amoris atque catena, qua uterque teneretur, locutus esset, subito ad semet ipsum et puellam orationem ita transfert, ut quantum hanc catenam valere velit, ostendat: tantum autem eam valere cupit, ut nullum tempus ipsos possit solvere i. e. dissolvere. Ovid. art. amat. II, 385: Hoc bene compositos, hoc firmos solvit amores. Propert. II, 34, 5. Polluit ille deus (Amor) cognatos, solvit amicos. Praeter ea, quae dixi, illud quoque me adducit, ut scripturam *nos* praeferam, quod mihi relativum *quam* iniquo loco collocatum videtur. — v. 20. *annue: quid refert, clamve palamve roget*. Ita ante Muretum in libris legebatur. posthac divulgatum est *clamve palamve*. De duplici *ne* vide Forbig. ad Virg. Aen. I, 308. At quamquam haec coniectura usu scriptorum commendatur, scriptura tamen non derelinquenda est. Nam nec ullam habet interpretandi difficultatem et librorum auctoritate eximie firmatur. Explica: *annue, roget ille clamve palamve*, id enim nihil refert. Gewähr es; mag jener bitten heimlich oder laut: denn was liegt daran? — C. VI. Hoc carmen lepidum ac venustum qui ab ipso poeta, non a puella scriptum esse volunt, recte sentiunt (vid. Heyn. et Dissen.). — v. 1. *turis acervos*. In nonnullis libris legitur *turis honores*. Id receptum est ab Heynio, Huschkio, aliis. Ipse Dissenius, etsi scripturam librorum auctoritate firmatam non deseruit, *honores* tamen ait elegantius dictum. Recte istud quidem. Conf. I, 7, 53. Propert. IV, 6, 5. Ovid. Metam. XIV, 128. Trist. II, 1, 76. Neque iis, quae II, 5, 6 leguntur, *cumulantur arae*, scriptura *acervos* satis munitur. Verum quae est huius vocabuli vis et significatio, non abhorret a natura turis et facete dictum videtur. declarat enim, quantum turis puella ad conciliandam deae gratiam exstruxerit. *Acervus* est ὑπερβολικῶς, sed festive positum. — v. 2. *docta puella*. Recte Heynius et Dissenius doctam dicunt appellari puellam, quia poesi operam dederit. Catullo (C. 65, 2.) ipsae Musae *doctae virgines* nominantur. Quamquam igitur *amicae* poetis saepe *doctae* vocantur, tamen hoc numero ista puella habenda non est. — v. 3. Erant, qui pro *tota* scriptum mallent *lota*: hi vim locutionis *tota tibi est* non videntur perspexisse. Recte eam explicarunt Heynius et Dissen. ad h. l. — v. 7. *neu quis*. In aliis libris est *ne nos*, in aliis *neve id*. Scaliger dedit *ne quis*. Excerpt. Colot. *ne quid* idque Vossio probatum est. *Neu quis*, quod praebet Cui. vet., reposuerunt Lachmannus et Dissenius, cui tamen magis placet *ne quid*. Pontanus *nox*, Heynius *fors* coniecit, idemque Lachmannus ad Propert. I, 9, 19. Huschkius collato carmine octavo opinatur scriptum fuisse *rus*. *Nos* hic plane supervacaneum est: *ne quis* dummodo ne intelligas matrem, sed procum puellae aequae invisum atque matri acceptum (vid. Grupp. p. 46), haud spernendum erit. Pontani coniectura *nox* iam a Vossio explosa est: Huschkii autem commentum *rus* inane ac paene ridiculum. *Quid* tenuius est, quam quod cuiquam probetur. Ceterum pro *neu* malim *ne* scriptum. Dicit enim poeta: tu sancta fave, ut ne alius quis amantes divellat. — v. 8. Heynius mire haesit in particula *sed*, pro qua repositum vult *et*. Verum puella hoc loco sibi prudenter cavet. hac, inquit, condicione te oro, ut constanti amore juvenem quoque mihi devincias. Hor. C. IV, 11, 23 tenetque grata compede vinctum. II, 12, 15. et bene mutuis fidum

pectus amoribus. — v. 9. *Ullae non ille puellae*. Vulgata *ulli*, cuius auctorem Lachmannus dicit incertum esse, probata est Heynio, qui alteram scripturam et vitio natam et numerorum iucunditati obesse iudicat. Huschkius negat *ulli non pro non ulli* usquam positum esse. Sententia sane est: nam nec ulla puella dignior est, cui ille serviat, nec ullus vir, cui illa serviat. Poeta brevius locutus est, sed immutata verborum constructione comparativi vim transtulit ad ipsos, iuvenem ac puellam, quos mutuo amoris vinculo copulatos vult. Itaque dicit: nicht verdient jener mehr, irgend einem anderen Mädchen, noch diese, einem anderen Manne zu dienen. Graece facilius rem explanes: οὐ γὰρ δικαιότερος ἢ ἀξιώτερος ἐκεῖνός ἐστι δουλεύειν. Conf. Propert. I, 13, 34. non alio limine dignus eras. Ceterum nemo non sentiet, minus ingratum auribus esse, *ullae non ille puellae*, quam *ulli non ille puellae*. quare *affectationis* crimen iniquius esse existimo. — v. 15. pro *et* in aliis libris *at* legitur: quam scripturam emendaturus Heinsius coniecit *en*. eumque secuti sunt Broukhusius, Heynius, Huschkius: assentitur etiam Gruppius (p. 60), qui se nescire fatetur, quid *et* hoc loco sibi velit. At modo dixit poeta: Ter tibi fit i. e. sacrum fit libo et mero: haec igitur dona sunt: his addere solebant *preces*: itaque *et* locum suum obtinet: auch schreibt die Mutter vor *et*. In leni et aequabili orationis genere, quod per totum carmen regnat, mihi *et* magis etiam placet, quam *en*. Idem sentit Dissenius. Denique dubium non est, quin *optet*, non *optat* scribendum sit: apparet etiam, sanum esse *quod* (conf. II, 5, 18): sie sagt ihr das vor, was sie wünschen oder erfliehen soll. *Studiosa* Dissenius pro adverbio positum dicit: ego illud ita explico, ut ad vim participii accedat »gar eifrig« *μάλα σπουδαζουσα*: quales matres in his quidem negotiis filiarum solent esse. — v. 16. *Iam sua* Scaliger ex Cuiac. dedit: accedit auctoritas cod. Reg. et ed. Rom. Planum est, quid dicat poeta. Heynius tamen putat, haec a nativo lepore et simplicitate huius carminis aliena esse. Dissenius contra, postquam ea explicavit *suum arbitrium*, *suos affectus sequens*, nonne, inquit, quae ita facit, iam *sua* est? Itali reposuerunt *iam sibi*, Heinsius *clam sibi*, ut II, 1, 84: palam pecori, clam sibi quisque vocet. Pers. Sat. II, 5: sibi introrsum et sub lingua immurmurat. Itaque Heinsii coniecturae plauserunt viri docti, ut Heynius, Huschkius, Gruppius. Atque is quidem verba *iam sua* male interposita esse dicit: at cur tandem commata ista non delevit, cum liceret? quidni construamus: und jene schon sich angehörig i. e. festen Sinns bittet anderes still im Herzen? Mihi *clam sibi* hoc loco displicet, non quod eadem his verbis sententia videatur subesse, quae verbis *tacita mente*: quis enim, qui veterum morem cognorit, id reprehendat? sed iccirco scripturam *iam sua* potiore duco, quia praeclare his verbis significatur, puellam animo iam confirmato vel obstinato sese matris consiliis flecti non passuram esse: quod aequo ingenio Sulpiciae atque impotenti eius amori convenit. — v. 19. Vulgata est *sit iuveni grata: adveniet cum proximus annus*. Scaliger *sic iuveni grata* et in subsequente versu pro *adsit* ex Cuiac. *esset* dedit: quorum alterum quid sit, vix intelligitur, si quidem *grata* dictum statues (vide Heynii annot.) pro *grata re*, alterum autem ieiunum esse apparet. Praeterea non liquet, cur imperfectum positum sit. Statius Florentini libri vestigia secutus coniecit: *sic iuveni gratum;*

*veniet cum proxim. annus, hic idem votis iam vetus ut sit amor.* placet mihi *gratum* illud: cetera displicent. Heinsius legit *gratis* sc. *votis*: quod Heynio probatur. Huschkius opinatus est legendum esse: *sic iuveni placeat*, velut I, 10, 29: *sic placeam vobis*. Quam coniecturam etsi Dissenius elegantem ducit, scriptum tamen vult *grata* sive potius *cara*, *adveniet* vel *ac veniet*. Lachmannus emendat *gratae*: Gruppius denique, cum *si*, *sit*, *sic* saepe inter se confundantur, coniectat: *sis*, *Iuno*, *grata et veniet* ceter. *grata* explicat erkenntlich. Hanc suam coniecturam quemadmodum tueatur, ipse viderit. *Grata* quin puella dici potuerit, non dubium est. vid. Hor. l. III, 9, 1. *gratus* eram tibi. Propert. I, 2, 3: His tu semper eris nostrae gratissima vitae. Equidem tamen malim distinctum post *velit*, ut integra sententia proximo superiori disticho contineatur. Deinde et res et ipse etiam ordo verborum suadere videntur, ut legatur: Si iuveni (sc. Cerintho) *gratum*, *veniet* cum proximus annus, Hic idem *votis iam vetus* adsit amor. Si iuveni *gratum* est i. e. si iuveni placet, sicut placet, hic ei amor proximo anno hoc ipso die natali, ubi vota suscipi solent, iam vetus adsit. Ovid. Remed. 107: et vetus in capto pectore sedit amor. — C. VII. In primo disticho pro *pudore* legitur in multis libris *pudori*, pro *quam* nonnulli libri praebent *et aut at*. Denique pro *fama magis* Broukhusius, Heynius, Huschkius receperunt scripturam, quae auctoritate satis idonea caret, *minor*: Lachmannus autem et Dissenius vulgatam restituerunt. Gruppius videtur legisse: *texisse pudori*, *At nudasse alicui sit mihi fama magis*. Quibus in verbis praeter enallagen casuum *pudori* et *fama* nihil sane est offensionis. Constructionem verborum Dissenius hoc modo explicavit: qualem *texisse fama mihi pudori magis*, quam *nudasse alicui* i. e. si dicar talem *texisse*, magis id mihi sit *pudori*, quam si dicar eum amorem alicui *nudasse*. Ordinem verborum paullulum turbatum esse, Vossius monuit. Et est ita, quicquid contra dicit Dissenius. Locutionem *nudasse alicui* Huschkius omni suspitione liberavit. Propius tamen, quam locus ab eo ex Livio allatus, Ovidianum illud (II. Am. 5, 5) accedit: Non mihi deletae nudant tua facta tabellae. — vv. 3 et 4. Docte Huschkius verba *Cytherea Camenis* contra Heynium tuetur. *illum* Dissenius ait intelligi *amorem*, etsi formosus adolescens, non Amor dicatur. At quamquam *amor* non raro pro eo, qui amatur, ponitur, tamen hoc loco cum dictum sit, *talis amor*, *qualem texisse*, *quam nudasse* cet., *amor* intelligi *iuvenis* non potest. *Iuvenem* autem pronomine *illum* significari, licet ipse nondum nominatus sit, id ex totius carminis argumento intelligitur. — v. 6. *sua* scil. *gaudia*. Itaque hanc scripturam Lachmannus et Dissenius merito ei anteposuerunt, quam Heynius et Huschkius servarunt, *suam*. — v. 8. Duplex negatio suspecta esse non debet (vid. Huschk. et Dissen. ad h. l.). Molestum fuit Heynio *quam* — *ante*: idemque offendit Vossium, Wunderlichium, Bachium, qui scribi iusserunt: *me legat, ut nemo*. Sed omnem mutandi libidinem repulsarunt Huschk. et Dissenius, quos vide ad h. l. — C. VIII. v. 3. Cum Sulpicia non propugnet nisi pro sua causa, recte sentiunt, qui singularem numerum, *puellae*, hoc loco aptiorem dicant, quam pluralem *puellis*. — v. 4. In libris *Arretino* et *Aretino* legitur: ex quo Dissenius conicit, villam Messalae in Etruria ad Arretium fuisse. Plerique



viri docti longinquitatem viae mirati *Eretino*, quod dederunt Itali, aut *Reatino*, quae est coniectura Huschkii, legi maluerunt. Arretium enim mille sane stadia ab urbe aberat (vid. Strab. l. V. p. 226): hoc iustum iter est. In subsequenti carmine legitur quidem *iter ex animo sublatum triste puellae*. Atque Dissenius parentes opinatur voluisse hoc itinere puellam quam longissime e vicinia Cerinthis semovere. Cui quamvis consentias, est tamen, quod mireris, ad celebrandum diem natalem huiusmodi itineris molestias exhiberi. Veruntamen in hac re nobis prorsus ignota cum nihil certi statui possit, praestat retinere scripturam, quam aliud quid reponere, quod nec magis exploratum sit et dubia auctoritate nitatur. — Pro *amnis* in nonnullis libris reperitur *arnus*. Quod etsi ab incerto auctore profectum est (vid. Lachm. annot.), Heinsius tamen, Broukhusius, Heynius, Huschkius receperunt. Inde natalem Sulpiciae iidem in tempus hibernum incidisse coniiciunt. Videlicet hiems ruri, quam in urbe tristior est. At cum villa commemorata sit, non absurdum erit opinari, omnes regionis amoenitates a Messala summopere laudatas esse, ut animum puellae alliceret. Heinsius, cum *amnis* languere ei videretur, *Arnus* coniecit, quod est in codice Thuanco. Concedam, intelligi hunc fluvium: multum tamen abest, ut appellativum putem suo loco movendum. Namque puella contentim haec iactat: qui fluvius iste esset, certe non ignorabant ii, ad quos haec scripta erant. Was soll, inquit, dem Mädchen eine Villa, was der Fluss im Arretiner Gebiete. Tiberis urbem praefluens puellae solus placuit. *Frigidus* autem, quod fere tribuitur fontibus ac fluminibus, hoc loco puto cum delectu positum. Concupiscit enim Sulpicia calores non aquarum quidem, sed alios. Fortasse Messala villae amoenitatem, prospectum in amnem praeterfluentem commemoraverat: frustra: puella haec omnia prae Cerinthis consuetudine flocci habet. — vv. 5 sqq. *Iam nimium Messala mei studiose quiescas, Non tempestivae saepe propinque viae*. Manifestum est, *mei studiose* cum urbana irrisione dictum esse: erat enim puellae hoc sui studium perquam molestum. Etiam *quiescas* nullam habet explicandi difficultatem, sed quae sequuntur, tam impedita sunt, ut vix possint extricari. Videtur locus depravatus. Ac primum quidem *non tempestivae* pro *intempestivae* positum dicunt. Esto. Tum *propinque* Wunderlichius comparat Graecorum ἐγγύς εἴναι idque interpretatur *saepe iter intempestivum susceptura* h. e. qui non semel mihi molestus fuisti itineribus intempestivis. Vulpinus quoque *propinque* explicat *identidem cogitans*, velut Luc. Pharsal. VI, 1: duces pugnae mente propinqui. At neutrum probari potest, ut recte vidit Dissenius. Huschkius vocem *propinque* non aggreditur: *saepe* oppugnat. Heynius scribi vult: *quiescas, non tempestivam sic properare viam, aut quiescas, non tempestivae spemque relinque viae*, quorum alterum iam propterea, quod sequitur *relinquo*, altero est deterius. Dissenius et Huschkius omni coniectura abstinerunt. Prudenter. Licebit tamen, quae de aliquo loco depravato meditatatus fueris, etsi non assequaris, quod volueris, proferre et cum aliis communicare. Itaque breviter dicam, quid de toto loco sentiam. *Quiescas* aut absolute positum erat: tum vero significat *ruhe*, gieb dich zufrieden, beunruhige dich nicht weiter: aut erat arcte cum sequentibus verbis copulatum: tum vitio scripturae infinitivus verbi alicuius videtur intercidisse. Nam iungere

illud cum genitivo, ut valeat *cesses, desistas hac intempestiva via*, quis audeat! Equidem interpungam post *quiescas*, ut nova sententia incipiat a voce *Non*. Nec tamen *non* in omnibus libris legitur, sed in Parisiensi et Vindob. est *neu*, in Colbert. *heu* (vide Huschk. ad h. l.). Verbis autem *saepe propinque* quid quaeso fiet? Offendit vocativus *propinque*, cum paullo supra idem casus, *studiose*, positus sit. sed, modo commode haec explicari possint, nihil morabimur alterum istum vocativum: mira tamen illa commenta novaeque verborum interpretationes non placent. Preme vestigia scripturae, fortasse erues *saeve propinque*: nihil amplius. Apage istas nugas! Lego: Non tempestivae, quae procul urbe, viae. Audacius, inquires. Ergo tu ipse vide, num quid melius excogites. Fruar invento tuo et laetabor. — v. 9. *Arbitrio quoniam*. Vulgata est *arbitrū*, quod dedit Heinsius de coniectura. Legitur idem in uno Italico. Haec tamen sive scriptura est sive coniectura, ab Huschkio convellitur, cui consentit Dissenius. Pro *quoniam* in aliis libris est *quamvis*. Stadius reposuit: *Arbitrio quamvis* non sinit esse meo. At iure viri docti haec reiecerunt. *Arbitrio meo* esse dictum est, ut Cic. Epistol. ad Att. V, 14, 2. magno timore sum. — C. IX. In-  
 scriptione huius carminis (vide Heyn. et Huschk. ad h. l.) inducti non deerant, qui hos codicillos a Sulpicia ad Cerinthum datos opinarentur. In quibus est etiam Gruppius: qui cum vidisset, esse eundem natalem idemque iter, de quo paullo supra quæstæ esset puella, utroque loco Cerinthi natalem dici statuit. Quod si altero in carmine natalis ipsius puellae dici videretur, id excusandum esse: nam a muliere haec esse scripta, cui haec venia danda esset, ut suo dicendi genere uteretur. Haec vero docti viri opinio neque satis est confirmata et occurrunt alia, quae me moveant, ut Dissenio consentiam, qui ab amico Cerinthi haec scripta esse existimat. — In primo versu recte Vossius interrogandi signum posuit. In altero versu Scaliger legit *iam licet esse tuo*, ut est in codice Cuiac. In libris editis reperitur fere: *non sinit esse tuo. non stare non posse*, apparet. Itali dederunt *nunc*, equidem malle scriptum *nam*. In paucis libris legitur *sinet*. futurum quin possit defendi, haud dubium est. praesens tamen multo est aptius. Broukhusius cum opinatus esset, haec ad Messalam ipsum scribi, refinxit: *iam sinis*. Huschkio autem ratus, Sulpiciae natalem intelligi, scripsit *meo*. Equidem unum illud probum ac sanum duco, quod ex Aldin. Dissenius restituit, *suo*. Ceterum cum carminis octavi extremo in versu legatur *non sinis esse meo*, non temere repudianda erit scriptura *iam sinit* scil. Messala, atque ita Wunderlichius haec interpretatus est. At vero si supra accusativus *me* non admodum requiritur, hoc loco ut pronomen non ita desideres, positum tamen malis. Quid? si scriptum erat: *Natali Romae iam sinit esse tuam*. Quis iste esset, qui *sineret*, etiam si non esset nominatus, satis ei, qui hos codicillos accipit, cognitum erat. — In versu tertio iis, qui a puella haec scripta voluerunt, offensionem erat vox *omnibus*. At recte vidit Dissenius, esse eos *amicos Cerinthi*. Quae igitur vox Heynio et Huschkio frigere videbatur, ea egregie declarat, qua caritate ac gratia amici Cerintho coniuncti fuerint. Quod Vossius ex unius libri margine pro *natalis* reposuit *genialis*, id nunc praetermitto; res enim iam confecta est a Dissenio. — In quarto versu Heynius cum *forte*

recte interpretatus esset, tamen hanc ipsam vocem coniectura tentavit. Scribi autem iubet: *Cum nec opinanti candidus ille venit*. Etiam Huschkius hunc locum depravatum putat. Equidem nihil in eo vitii deprehendi. *Nec opinanti* significat, iuvenem iam eo adductum fuisse, ut omnem spem abiiceret. *Forte* autem valet *forte fortuna*: quatenam ista fuerit, nos quidem ignoramus: sed quid refert? Nec vero *dies natalis* ei inopinatus venit, sed opportunitas eius diei Romae celebrandi inopinanti obvenit. — C. X. Breve carmen, sed ad explicandum difficile: quae interpretandi difficultas sollertiam virorum doctorum elicit. Gruppius exemplum istud dicit esse latinarum literarum rarum quoddam ac prope singulare. Equidem concedo, multa in hoc carminum genere reperiri, quae sint obscurius dicta: illud tamen persuadere mihi non possum, puellam, quae hos codicillos scripserit, latine scribendi imperitiorem fuisse. Atque in iis carminibus, quae Gruppius ab hac ipsa puella scripta vult, pleraque nitide et eleganter scripta sunt. Qui tandem existimes eandem latine scribendi peritam atque imperitam fuisse? Scribat aliter vir, aliter mulier: latinitas aut eadem est aut nulla: sexus ad eam nihil pertinet. Sed de hac re alias: nunc ad carminis interpretationem aggrediamur. — *Gratum est* cum stomacho et irrisione dictum esse, omnes, quod sciam, interpretes consentiunt. *Multum* potest ad verbum finitum *permittis* vel *promittis* referri: sed ita iunctum friget: rectius iunges cum voce *securus*, ita ut sonet *valde*. Pro *permittis* Heinsius de coniectura dedit *promittis*: atque *promittas* in Regio legi, Heynius testis est. Quod si *promittis* legitur, aut construas necesse est *multum de me tibi promittis* aut si verba *multum de me* iunxeris cum voce *securus*, dictum erit, *tibi promittis*: illud non ita expediri potest, ut cum iis, quae sequuntur, concinat: hoc omnino expediri nequit. Nam quod Dissenius putat, intelligendum esse, fore nimirum, ut puella hanc *Cerinthi perfidiam toleret*, id mirificum viri docti commentum est. Eiusmodi ellipsis nova sane foret et plane inaudita. Heynius vulgatam *permittis* hoc modo explicat: per te mihi licet quidvis agere, cum quolibet vivere, cum amatores de puellarum moribus et consuetudine valde solliciti et curiosi esse soleant. Atqui Heynius Cyllenium secutus *de me* cum voce *securus* iunxit: easdem ergo voces et ex verbo finito et ex adiectivo *securus* aptas esse voluit. Nec tamen id tam displicet, quam tota eius opinio, quae mihi huius loci sententiam pervertere videtur. Sed de hac re paullo infra: nunc cetera persequamur. *Subito ne male inepta cadam*. Haec verba ex voce *securus* pendere volunt, esse enim *securus* hoc loco *nihil veritus*. Posse *securus* ita explicari, non nego: apta esse ex eo verba *ne male cadam*, nego. Quid vero est *cadam*? Verbum nequitiae, inquit, velut apud Plautum (Pers. IV, 4, 105) et apud Senecam (controvers. I, 3). Video: sed apud alterum cum leno dicit *Ne, sis, plora: libera eris actutum, si crebro cades*, statim intelligitur, quid dicat: apud alterum acumen est in amphibolia huius vocis positum. At hoc loco puella loquitur, lascivior sane (vide carm. 3), sed nunc iracunda et generis nobilitate superbiens: quae num tale quid iactaverit, valde dubito: at quemadmodum viri docti haec ipsa verba explicant? Heynius: male inepta, inquit, est nimis stolidi, nempe quae tam pulchrum iuvenem alii fortasse minus formoso posthabeat eique subsidat, velut apud

Propert. II, 29, 14: *haec te non meritum totas expectat in horas: At tu nescio quas quaeris, inepte, fores.* At haec plana sunt et ad intelligendum facilia. Liquet, cur se Propertius *ineptum* dici voluerit nec minus apparet, quamobrem *nescio* quas cum contemtionem quadam dixerit: nempe scribit ad Cynthiam. Quid autem hoc loco probatur? Nihil, nisi *ineptum* valere fere *stolidum*: de qua re neminem unquam dubitasse credo. Heynio Dissenius consentit. Gruppius patrio sermone haec explicat: so dass ich plötzlich enttäuscht; um so tiefer falle, non convertit ille quidem ut interpres, sed sententiam loci melius, quam illi, assecutus est. Equidem *cadere* confero cum Graecorum *πεσεῖν*. conf. Soph. Oed. Colon. 396. *καλὸν γὰρ μὲντοι μὴ ἔσθ' ἀβουλίας πεσεῖν*. Eurip. reliq. Inc. *ἐξ ἐλπίδων πίπτοντας ὑπέρβους ὄρω*. Propius fortasse accedit illud nostratum »aus dem Himmel seiner Hoffnungen fallen«. *Sit tibi cura togae potior pressumque* cet. Haec vulgata est, quam tuctur Ayrmannus, reiicit Heinsius. Is coniecit *si tibi cura toga est*, quia sequitur *pressum scortum*, non genitivus, pressi scorti. Consenserunt Heynius et Huschkius. Dissenio *si* probatur, *toga est* non item, quamquam in codice Askew. ita legitur (vide Huschk. ad h. l.). Vidit enim, posse ad *scortum* intelligi *potius*. Totum autem locum idem vir doctus hoc modo interpretatur: ridet, inquit, puella Cerinthum, quod nimis securus sit de favore suo: erras, ait, quod aeternum esse favorem meum credis. Si tu aliam amas, sunt etiam mihi admiratores. Sin posueris *sit*, dicet: habeas tibi alias, nihil refert, non doleo: sunt mihi alii admiratores. Sed haec non est mens eius. Revera dolet et ne ironice quidem permittere vult, credo, quod sic ponimus. Haec Dissenius: at si quid video, *sit* multo est melius, quam *si*, sive ea scriptura sive emendatio est. Simulat enim puella, nihil sese hac re moveri: at quo dolore perculsa sit, praeclare ex eo ipso intelligitur, quod tam acerbe istud *sit* iactat. Hinc etiam contentio illa, qua puellam sibi suspectam proculcat. Enallage casus ad commotionem animi apte convenit. Iure igitur Lachmannus et Dissenius *togae* legerunt. *Solliciti sunt pro nobis, quibus illa dolori est, Ne cedam ignoto maxima cura toro.* Locutio *sollicitum esse pro aliquo* nihil habet offensionis (Terent. Heautont. I, 1, 77. Hem tot mei solius solliciti sunt causa.): sed in ceteris verbis explicandis interpretes dissentiunt. alii enim *quibus* relatum volunt ad pronomen *nobis*, ita ut Sulpiciam putent fateri, istam puellam sibi dolori esse: alii contra *quibus* ex voce *solliciti* pendere arbitrati sunt: dedecere enim puellam, quamvis stomacharetur, tam aperte dicere, hac amatoris perfidia sese dolore affectam esse. Atque hi quidem prudenter saltem et ad ingenium muliebre accomodate. Heynius in suo iudicio fluctuat. Equidem puto, puellam haec dicere, ut animum amatoris pungat: cum aliis eam suas suspiciones communicasse non credo: nec verisimile est, qui puellam ipsi omni modo ambirent, doluisse, quod Cerinthus scorto eam posthaberet. Quippe enim potuissent sperare, amantium discidium fore. Quod cum viri docti sensissent, *dolorem* explicarunt *Aerger*. Gruppio *illa* videtur esse ipsa Sulpicia (vid. eius libr. pag. 52). Denique *ne cedam* plerique viri docti legerunt, sprete varietate scripturae *nec credam*. *Cedam* Statius emendavit (sed vid. Huschk. ad h. l.). *Solliciti sunt*, inquit Heynius, qui dolent, Sulpiciam, puellam nobilem, quamque ipsi

petant, indigno metu teneri, ne scorto ignoto posthabeatur. Legit enim vir doctus *maximam curam*, non *maxima causa*, quae varia scriptura est. Fuisse enim Sulpiciam, ut Horatii Barinen (C. II, 8, 8), maximam curam nobilissimorum iuvenum. Postmodum tamen mutata sententia *turbam*, quam *cura* legi maluit. Husehkius ne vox *cura* in tam brevi carmine iteraretur, scripturam *caussa* potiore duxit, deinde secum ipse dissentiens alteram scripturam praefert: *maxima enim cura* et *cura togae* inter se esse opposita. Dissenius in ceteris Heynio consentit: legit tamen *caussa*, quam locutionem ex foro traductam vult; Gruppius eandem non poeticam esse, sed vulgarem putat. Haec argutius, quam verius videntur explicata. Ego quos *sollicitos pro se* puella dicit, admiratores eius intelligi posse non modo non nego, sed ab amatore intelligi voluisse Sulpiciam arbitror. Nam gloriose loquitur, ut perfidi amici animus mordeatur. Revera autem dicit parentes ac necessarios, quibus ea maxima doloris causa esset, quod tam nobilis *puella toro ignoto cedere* i. e. homini ignoto nubere vellet (vide Husehk. ad h. l.). Itaque pro *dolori est* legi malim *doloris*. Ordo verborum perturbatus commotiori animo puellae convenit. Totum carmen patrio sermone sic explico: Ei recht dankenswerth ist, was du meiner schon völlig sicher dir verstatte, dass ich nicht als eine grosse Thürin unerwartet falle. Mag immerhin dein Herz zu einer Toga und von der Last des Wollkorbs gedrückten Dirne mehr sich hingezogen fühlen, als zu des Servius Tochter Sulpicia: besorgte Seelen finden sich für mich, denen das den grössten Kummer macht, ich möchte unedlem Ehebündnisse zum Opfer werden. — C. XI. *Quod mea*. Heinsius *dum* emendavit, ad cuius emendationis similitudinem proxime accedit scriptura cod. Voss. I. *quam*. Vulgata *qui* constructionem impeditorem reddit, quam ut pro germana scriptura habenda sit. Itaque Lachmannus et Dissenius servarunt *quod* i. e. in Bezug darauf, deshalb weil. Recte: sed cur uterque vir doctus virgulam post vocem *puellae* non posuerit, cum in unam sententiam haec cogi non possint, non perspicio. In prosa oratione certe scribendum fuisset *cuius corpus*. — *fessa*: conf. Horat. C. S. 63 et Tibull. I, 5, 9. — v. 5. Statius et Scaliger ex suis libris dederunt *Al*. Broukhusio, Heynio, Vulpio, Husehkius probatum est *nam*, quod reperitur in Ald. *At* ex Cuiac. Vet. Lachmannus et Dissenius restituerunt. Etenim sententia est: id opto, quia puto te ita fieri velle: at si secus esset, ergo si me non amares, nollem. Recte autem Husehkius monuit totum id distichon esse quasi *ἀνακεφαλαίωσιν* sive elegantem conversionem distichi superioris. Quapropter Dousae et Heinsio consentit, scribendum esse *si tu*. Libri nimirum variant: in aliis *ubi tu*, in aliis *quid tu*, *nam tu*, *quam tu* legitur. — *lento*. conf. Propert. I, 15, 4: Tu tamen in nostro lenta timore venis. 6, 12. *Al* pereat, si quis lentus amare potest. — C. XII. In primo versu *sim* verissimum est. Nam etsi *sit* ferri posset, si in pentametro scriptum esset *video*, tamen ne sic quidem omnia sana forent: desideraretur enim *genitivus mei*. Scripturam *tam* vox proxime collocata *aeque* convellit. Legendum igitur *iam*. Ita omnia plana et expedita sunt. Pro *ac* in paucis libris (vid. Husehk. ad h. l.) *ut* scriptum est. Quin ita dici possit, hodie nemo dubitat, at altera scriptura et auctoritate librorum confirmatur et ipsa per se multo est melior. Vide Hand. ad Tursell. de

partic. Tom. I, p. 193. — C. XIII. v. 1. *Nulla tuum nobis subducet femina lectum.* Explicant: nulla femina lenociniis formae aut aliis artibus me abs te unquam abducet. Et est haec verborum sententia. Apud Propert I, 8, 45: rivalis certos amores alicui subducit et I, 13, 28 puella non sinet abduci amatorem. Atque si quid alicui subducitur, res ei, non ipse rei callide vel fraudulenter eripitur. Hoc loco poeta non puellam sibi, sed se puellae negat ab ulla muliere unquam ereptum iri. Intelligitur, Propertium proprie, Tibullum improprie locutum esse. Nam verba *nobis subducet* valent *michi ex animo subducet*: paullo audacius tamen his adiunxit *lectum* i. e. amoris furtivi consuetudinem: sic animum a figurata verbi *subducet* significatione rursus ad propriam eiusdem vocabuli vim traducit. Horat. IV, 11, 32: Nec enim posthac alia calebo femina. — Pro *nobis* mira germanae scripturae depravatione in paucis libris legitur *titulis*. conf. tamen Huschk. annot. ad h. l. — v. 2. *iuncta Venus.* Haec Homericis ὁμοῦ ἤνοι φιλότιητι conferri possunt. Quod in cod. Reg. legitur *pacta* originem duxit ex frequentissima illa locutione *foedus pacisci*: quae per se proba huic tenerrimo amoris foederi parum accommodata est. Altera autem scriptura *vincta* usu quidem loquendi firmatur, sed non minus ab hoc loco aliena est. Nam quod foedus *initum* est, id non continuo *vinctum* est: quod sola gratiae et consuetudinis diuturnitate efficitur. — v. 3. *Tu mihi sola places.* Scaliger ex suis libris, quibus plurimorum librorum auctoritas accedit, *modo* pro *michi* dedit. Vulgata tamen placuit Broukhusio, Heynio, Huschkio: non item Lachmanno, qui Scaligero assensus est. Heynius et Huschkius *modo* natum putant compendio scripturae, iisque suffragatur Dissenius. Ego non dubito quidem, quin Romae olim bona pars hominum ita locuta sit: vulgus etiam hodie apud nos saepe eodem modo loquitur *nur allein* neque omnia sunt reiicienda, quae vulgaria videantur esse: nec tamen plebeii sermonis usu ita delectatum esse Tibullum credo. Ipsa partium, ex quibus hoc distichon constat, ratio ea est, quae postulet, ut *michi* reponatur. Nam verbis *tu mihi sola places* accurate respondent ea, quae sequuntur: *nec iam praeter te in urbe ulla puella formosa est meis oculis*: illa brevius, haec ornatus dicta sunt. Denique scriptura *tu mihi sola* commendatur etiam similitudine locorum, quos viri docti ex Ovidio (Art. am. I, 42) et Propertio (II, 17, 19) attulerunt. — v. 5 sq. *atque utinam possis uni mihi bella videri: displiceas aliis: sic ego tutus ero.* Non modo librorum auctoritate, sed etiam scriptura *posse*, quae quidem depravata est, *posses*, quod Lachmanno placuit, firmari videtur. Lachmannus enim ita distinxit, ut verba *displiceat aliis* ab iis, quibus addita est particula *utinam*, seiungantur. Quae distinguendi ratio mihi probatur: probata est etiam Gruppio, qui vertit: Möcht' auch keiner, als ich, so schön dich finden, Geliebte! Missfall' anderen, dann bin ich gesichert fürwahr. Nam si *displiceat* poeta cum voce *utinam* iunctum voluisset, posuisset haud dubie particulam copulativam: asyndeton certe iniucundum foret. Nec vero si poeta non ignoravit, multos esse, quos forma puellae caperet, iccirco necessario reponendum est *posses*: etenim qua de re hic agitur, ea res non ad illam pedestris sermonis legem tam severe exigenda est, ut in ἀδυνάτοις numeretur. Quocirca nihil obstat, quominus *possis*, quod nonnullis in libris est, ponatur: ac re-

posuerunt illud Broukhusius, Heynius, Huschkus et Dissenius. Verum cum *displiceas*, ut distinxit Lachmannus, non pendeat ab *utinam*: altera autem scriptura idonea auctoritate nitatur, altera careat, utra reponenda sit, apparet. Similiter paullo infra (v. 9) Lachmannus et Dissenius restituerunt *possim*: Broukhusius contra, Heynius, Huschkus, id quod in paucis libris legitur, *possim* scribi maluerunt. *Possim* cum ad futuri vim accedat, nihil habet offensionis. At altera scriptura praefenda est. Indicativo enim animus a spe incerta ad veritatis necessitatem revocatur sive ut Dissenii verbis utar, indicativus vividiori phantasiae poetae magis convenit. Mire autem haesit Heynius in voce *sic*. Sententia, inquit, videtur postulare: *si tecum esse liceat*: fortasse igitur legendum: *tecum ego secretis*. Quam Heynii opinionem non opus est refellere. — v. 15. *Haec tibi sancta tuae*. Altera scriptura *per tibi sancta tuae* unde orta sit, supersedemus dicere: satis de hac re dixit Huschkus, quem vide. Vulgata usu poetarum et latinorum et graecorum affatim munitur (conf. Huschk. ad h. l., Heyn. et Thiel. ad Virgil. Aen. VI, 324). *Hoc* autem pro *haec* videtur aliquis scripsisse, qui non intellexisset, *haec* iungendum esse cum voce *numina*: de qua re praeclare monuit Broukhusius. — v. 16. *Mihi* pro *tibi* Scaliger ex libris reposuit, ut poeta genium puellae suae sibi omnium Deorum esse maximum diceret. Vulgata *tibi* cum idem pronomen in hexametro positum sit, quod et insuave est et inutile, alteri scripturae longe est posthabenda. — v. 17. Scriptura *credo* defensorem nacta est Heinsium ad Ovid. III. Art. am. 4, 86: hodie vix quisquam erit, quin eam improbet. *Cedo* Heynius et Dissenius interpretatione ita firmarunt, ut de hac scriptura iam dubitari nequeat. Pariterque contra Scaligeri commentum, quod Broukhusio imposuit, scriptura *proderat* omni ex parte communita est. Dudum Statius ita emendaverat. Res plana est: antequam poeta iuravit, puella metu, ne ab eo posset deseri, continebatur: hoc metu sublato habentiae ei admissae erant (conf. Heyn. ad h. l.). Variam scripturam *notae, nocte, nostrae* (v. 22) satis est commemorasse. *notae* recte Heynius explicavit *cuius servitio assuetus sum*. — C. XIV. v. 1. *Rumor ait, crebro nostram*. In nonnullis libris est *crebro* post *nostram* positum: qua verborum consecutione omnis sane ambiguitas tollitur. Id fortasse Huschkium permovit, ut ita scribi vellet. Verum apparet, voci *crebro* plus esse ponderis, quam voci *nostram*: nec cavendum, ne quis imperitior *crebro* cum verbo *ait* iungat. Itaque mihi quoque persuasum est, legendum esse *crebro nostram*. Paullo infra (v. 3) Pontani coniecturam *iacta* scripturae anteponendam puto. Quid enim? num quemquam recentiorum auctoritas librorum potuit adigere, ut in eodem versu *carmina* pro *crimina* legeret? Non negaverim, dici posse *crimen facere alicui*. Apud Propertium tamen IV, 4, 43, quem locum Dissenius attulit, Tarpeia dicitur factura magnum crimen puellis romanis i. e. allatura magnum probrum seu dedecus (der ganzen Mädchenwelt werde sie grosse Schande bringen.). Ovid. Am. II, 633: fama que non facto crimine crimen habet. Heinsius ex libris dedit *non tacto corpore*: quae mihi interpretatio videtur esse germanae scripturae Cic. pro Flacco c. 14: crimen sibi facere i. e. criminationem facere seu criminari. Itaque quamquam scriptura *facta* defendi potest, tamen *iacta* melius quadrat ad rumores seu sermones hominum; digna

gitur Pontani coniectura erat, quae Heinsio, Heynio et Huschkio probaretur. Minus probabilis est coniectura Mureti *ficta* (conf. Propert. I, 12, 1). Poeta enim dicit, hos sinistros rumores magno cum dolore suo dispersos ac disseminatos esse. Ceterum Dissenius et Gruppius hoc epigramma in Glyceram; Vossius in Nemésim, quam nonnulli viri docti hanc ipsam Glyceram fuisse volunt (conf. Grupp. I. commemor. p. 220 sqq.), scriptum opinantur. Facetum illud esse vidéo: utrum a Tibullo scriptum sit nec ne, non liquet: idem sentit Heynius: sed de hac re alio loco. Quae sequuntur carmina Priapeia Scaliger se in antiquo codice reperisse dicit. Dissenius Broukhusio consentit eaque negat Tibulli esse: contra dicit Gruppius p. 235. Mihi nihil persuasum est, nisi haec carmina, certe alterum, elegantia et quasi munditia plerisque Priapeiis multum praestare. — v. 1. *Villicus aerari* Forcellinus et G. C. Anton (in annot. ad Priapeia) legunt, quia villicus olim pro *praefecto* dictus sit. Scriptura *Aerari quondam custos, nunc cultor agelli* ordine verborum minime commendatur: scribendum enim erat: *Aerari custos quondam, nunc cultor agelli*. Praeterea eadem vox *custos* in quarto versu legitur. Multo etiam deterior est scriptura: *rusticus aerari quondam, nunc rusticus horti*. Recte autem se quondam *seruum*, nunc liberum: quondam rei alienae dispensatorem, nunc sui agelli cultorem dicit. — v. 6. De varia scriptura *sed tento* vide Anton. ad h. l. — In altero carmine Heinsius pro *quieta* coniecit *vieta*. Horat. Epod. XII, 7: qui sudor vietis cet. At sententia manet eadem: illud autem dictum est paullo decentius. Fortasse id ipsum huic carminum generi Heinsius minus accommodatum duxit: in quo ego dissentio. — v. 7. Scaliger pro *revinctus* scribi iussit *revincte*, de qua re vid. Dissen. ad Tibull. I, 7, 53. — v. 10. *tuas sine arte deligavimus comas*. Dissenius incomtas et hirsutas comas intelligit. At vero in toto Priapo, nisi fallor, nihil artis erat. Priap. C. 63, 9: Huc adde, quod me terribilem deum e fuste manus sine arte rusticae dolaverunt, confer, etiam 9, 4 et Horat. Serm. I, 8, 1. Equidem iungo verba *sine arte cum deligavimus*. (Kunstlos flochten wir um deine Haare (conf. Catull. C. 19)). Non omnes *inauratis coronis* deum donarunt: incertum etiam est, num deus *marmoreus* fuerit (vid. Mart. VI, c. 72. Virgil. VII, Ecl. 35), ut Venus illa Paulli Maximi apud Horatium: *aureus* certe non erat, ne inauratus quidem: erat enim id votum vel verbum potius. — v. 16. *pallidus* vel metri causa praefero voci *squallidus*, quamquam id Dissenio placuit, sed satis erat dixisse *pallidus*, absterso videlicet minio seu rubro colore. — v. 23. Pro *imminente* haud dubie legendum erit *ingemente* aut *in gemente*. *Intremente* parum aptum est. Sed haec hactenus.

codex vetus carminum pro *revinctus* legitur. Non negaverim, sed  
 aliquid. Apud Propertium laudem *revinctus* in *revincte* mutatum  
 cum facta maxime quibus *revinctus* a *revincte* mutatum est  
 (et genus *deligavimus* verba *sine arte deligavimus* (Kunstlos  
 flochten wir um deine Haare (conf. Catull. C. 19)). Non omnes  
 inauratis coronis deum donarunt: incertum etiam est, num deus  
 marmoreus fuerit (vid. Mart. VI, c. 72. Virgil. VII, Ecl. 35),  
 ut Venus illa Paulli Maximi apud Horatium: aureus certe non  
 erat, ne inauratus quidem: erat enim id votum vel verbum  
 potius. — v. 16. pallidus vel metri causa praefero voci  
 squallidus, quamquam id Dissenio placuit, sed satis erat  
 dixisse pallidus, absterso videlicet minio seu rubro colore.  
 — v. 23. Pro imminente haud dubie legendum erit ingemente  
 aut in gemente. Intremente parum aptum est. Sed haec  
 hactenus.